ait, quibus in solo viuendi causſa palato est. *de quibus illud quoq; dictum:*

Interea gustus elementa per omnia quærunt. *Iuuenal. Sat. xj.*
Numquam animo pretiis obstantibus, interiùs si
Attendas, magis illa iuuant quæ pluris emuntur.

Atque hæc secunda vulgaris felicitatis pars, quæ magno, lauto, & sumptuoso epularum spectatur ac laudatur apparatu. Tertia verò, liberorum numerosa proles & ad posteritatem familiæ propagatio, cui tamen fundorum, pecuniæ atque patrimonij copia contingat nitidißima. duas has partes ita describit Vates: Saturati sunt filiis : & dimiserunt reliquias suas paruulis suis.

—— Nos animorum
Impulsu, & cæca magnaque cupidine ducti, *Iuuenalis.*
Coniugium petimus, partumque vxoris:

aiebat ille, qui vota mortalium sapienter etiam stultitiæ notauit; quorum summa esset, diuitiis ad vitæ luxum abundare, atque filiorum copiosa præstare sobole, quæ tamen non ad laborem, nec ad mortales cæteros industria & artibus iuuãdos, verùm ad ignauiam, luxuriem, & delitias atque paternæ lautitiæ superandum splendorem expetatur, & ab ipsa vsque instruatur infantia. id quod vt ex animi sententia comparetur, iura legesq; violari, & pauperiorum rebus insidiari atque detrimentum afferri solet.

Reliquias suas] IETHERAM Residuum *siue* Reliquum suum.

Quantum oportet esse diuitiarum cumulum, quarum non modò copia tantis delitiis sufficere, sed residuum quoque compluribus ijsdemq; inertibus otio ac luxu lasciuientibus abundè superare debeat? Paruulis suis]

aptißima ac verißima significatione vsurpatum vocabulum, LEGHOLELEIHEM. *dicuntur enim* GHOLELIM *pueri, qui primùm ab infantia egressi, nulli rei præterquam ventri & lusibus horas diesq; impendunt integros, noctes verò brutorum instar somno consumunt: quales bonus ille describit auctor:* Ditiorum filij quales.

Reddere qui voces iam scit puer, & pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, & iram
Colligit ac ponit temerè, & mutatur in horas.

Tales plerumque diuites isti atque opulenti cogitant, parant, & magno studio intendunt heredes relinquere, quorum ingenia & mores graphicè ille alter describat: —— Mitte Ostia Cæsar,

Mitte; sed in magna legatum quære popina,
Inuenies aliquo cum percussore iacentem
Inter carnifices & fabros sandapilarum,
Et resupinati cessantia tympana Galli:
Æqua vbi libertas, communia pocula, lectus
Non alius cuiquam, nec mensa remotior vlli.
Quid facias talem sortitus, Pontice, seruum?
Nempe in Lucanos aut Tusca ergastula mittas.

At vos Troiugenæ vobis ignoscitis, & quæ
Turpia cerdoni, Volesos Brutosque decebunt.

Istos itaque paruulos, quales Hispani etiam per iocum ac ludibrium nigos, *vocant, vno vocabulo* Paruulis suis *indicatos intelligimus. Inimicorum autem partibus atque artibus & facultatibus indicatis, rursus euestigio suas opponit Vates; totiusq; à se optatæ & expetitæ sortis rationem, atque vnicum felicitatis idemq; perpetuum declarat & profitetur votum; quod simplici, pura, & calente pietate, atque Diuini arcani beneficij exspectatione definit:*

15. Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo: satiabor cùm apparuerit gloria tua.

Vera felicitas. *Veram, vnicam, eandemq; solidam de humana felicitate doctrinam, vnico versu complexus & professus declarauit Vates, quo etiam suam peroranit causam. Sunt autem totius doctrinæ huius capita duo; alterum,* Iustitia legalis. *quod ab hominibus præstari debet; alterum verò, quod à Deo poscendum &* Iustitia diuina. *exspectandum commendatur. illud in humano officio legitimo, hoc in diuino admirabili constituitur beneficio. illius norma in legitimis exhibetur præceptis, quæ qui fecerit homo, viuet in eis; huius virtus in diuinæ gratiæ dono præstatur. illius munus eatenus pertinet, vt fidelē hominē bonum, iustum iustitia legali, Deo commendet; huius autem efficientia, ad vsque adoptionem filiorum Dei fideles, pios & diuinis iussis parentes amplificat homines. Vtramque verò conditionem sibi creditam atque certam optari, iniri, & summo studio curari; nihilq; vel diuersum à priore primum agendum, nihil præterea vltra, aut præter posteriorem quærendum & poscendum, vel nosse, vel velle, vel vmquam propositum aut proponendum asseuerat. Prioris autem partis ratio, in priore testamento tradita certis, verborum* Exod. 23. *significatur formulis; ex quibus illa:* Non apparebis in conspectu meo vacuus. *iubetur enim fidelis homo, pietatis legitimis obsequiis ornatum sese Deo, idq; statis & festis temporibus, præsentare. ea verò officia atque obsequia vno iustitiæ nomine complectitur auctor.* Ego autem in iustitia *(legali)* apparebo conspectui tuo] BETSEDEK EHHEZEH PANEICHA, in iustitia videbo facies tuas; *quod mearum, inquit, partium. Verùm quamquam iustitia illa eo vsque progrediar, vt nihil mihi sim conscius, tamen non ad saturitatem, non plenè inquam felix & beatus continuò euasero, donec diuino illo à te promisso atque à te vnicè præstando munere explear:* Satiabor cùm apparuerit gloria tua] BEHEKITS, in excitando, THEMVNATHECHA. *id quod rem quampiam ad viuum, vti dici solet, exprimit,* THEMVNAH *in sa-*
Imago Dei Deut. 4. *cra dicitur lingua. in antiquæ verò legis historia nulla huiusmodi imago hominibus ostensa constitit: sicut scriptum est,* Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis.

UNIVERSIDAD DE MURCIA

ignis. *Quam verò illo in statu videre non contigit, quamq; cernere & sentire cognoscereq; nostet & cæteri Vates expetebant omnes; hanc noui testamenti Sancti in se excitatam cognouere.* Nouissimè diebus istis locutus est in Filio: Qui cùm sit splendor *Patris* & figura substantiæ eius, portansq́ue omnia verbo virtutis suæ, *in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*, & habitauit *in suis qui viderunt* gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. *Atque hanc veram & saluberrimam perpetuamq; saturitatem, quæ non ventrem sed mentem explet; non domum ac familiam filiis & nepotibus à nominis & gentis obliuione vindicat, verùm ipsum cui contingit, Dei filium, regem, sacerdotem, & æterni regni cum Christo heredem statuit & conseruat: hanc, inquam, saturitatem sibi optatam solummodo ac singulariter expeti, nihil præterea requiri declarans, noster perorat Vates.*

Noui fœderis sancti *Hebr. 1.*

Iohan. 1.

IN PSALMVM XVII.

MATTHÆO DOOMIO BELGÆ SALVTEM.

NOn immeritò, mi Matthæe, imò non frustra, in omni publica & priuata re, in omni negotio, in causſis cunctis, vnica tibi cordi est veritas, vnica suscipitur, colitur ac defenditur vnica: quippe quæ nuda ac simplex perpetuoq́ue sibi similis & constans, falsi ac mendacij genus omne, quamuis plurimis figmentorum ac simulationum & commentorū turmis densum, & fraudum stratagematibus instructum, potentiæ quoque viribus & armis vallatum, tamen duabus tantùm partibus instructa, videlicet patientia & modestia, sustinere, contemnere, ac demum vincere solet; atque aduersariis suis, pro affectatata gloria, pro præcepto & sperato commodo, mandare laqueum, & ignominiæ ac probri perpetua inurere nota; nonnumquam verò & spontanei exitij cogitationem ex conscientiæ desperatione ab iisdem susceptam miserari potiùs, quàm insultare. Id quod te sæpius antiquis historiis inter domestica & familiaria negotia

UNIVERSIDAD DE MURCIA

ex more euoluendis obseruasse, non rarò autem in tua ipsius priuata & in cõmuni amicorum ac sociorum Belgarum caussa expertum, planè didicisse noui; dum quæ à vobis ex æquo & æquo tractantur negotia, quorumdam auaritia, aliorumque inuidia calumniis & insidiis, petita, tentata, atque impugnata; nonnullo fortassis interdum damno, aliquanto temporis dispendio; demùm tamen cum vestri nominis decore, fidei atque integritatis & bonitatis vestri præconio, nitida, pura, ac verè legitima appareant, & selectiorum spectatorum plausus mereantur, atque insidiatorum ruborem, vulgi vel admirationem extorqueant, vel temerariam corrigant opinionem. Huius autem rei graue, præclarum, & insigne exemplum veritatis pater & vindex atque assertor Deus, in Dauidis sibi delecti singulari & variis periculis examinata persona, statutum ac mundo editum voluit: qui cùm per omnem ætatem veri atque æqui sustinuerit partes, quamquam ab inimicis, inuidis, atque potentissimis æmulis, diu ac sæpe afflictus atque mille petitus dolis, innumeris passim calumniis traductus, indignissimisque exagitatus & habitus modis, ita vt suis etiam affinibus horreretur; tamen malorum tolerantia, & constante beneficentiæ atque innocentiæ proposito perpetuoque studio, victor demum & promissi diuini compos factus, quod tu iam sæpe legisti, quodque à nobis nunc explicatius accipies, gratulatorium concinit Carmen tibi; quod pro istius animi candore, vt pauperis amici sed amantissimi & absentis iucundum munusculum, libenter & gratè, vt spero, perleges. Vale. Ex nostræ rupis apud Aracenam tibi iam viso secessu. Kalend. Septembr. cIↃ. IↃ. xcvii.

Dauidis persona veri & æqui sustinet partes.

ARGVMENTVM.

Singularis prouidentiæ Dei testimonium, assiduis & manifestis periculis atque experimentis comprobatum, Psalmus hic exhibet; cuius à priuata gratulatione ducitur initium, finis verò ac peroratio publicè decernendis laudibus desinit. Namque hæc supplicationum communis ratio est, vt cum priuati exempli narratione & gratulatione, publica etiam coniungatur caussa. Totius igitur anteacti sibi per varios casus ac per multa discrimina temporis historiam recensens Dauid,

uid, quantum diuina misericordia ac tutela in duris & aduersis hominum rebus luceat & agnoscatur, quantum etiam veritas in promissis suis præstandis & asserendis aduersus omnem impietatem & improbitatem hominum veræq; virtuti aduersantium præmineat, manifestè ostendit; eóque magis, quo melior pars humilior & infirmior atque suis viribus minùs valens conspicitur, improbitatis verò factio potentior, validior & superbior, atque in speciem insuperabilior apparet. Vnde euenit, vt qui minùs antea rectè ac sapienter de Dei natura, efficacitate & prouidentia, sentiebant; manifestis euicti exemplis ad veræ pietatis disciplinam & studium reuocentur, atque vltrò inclinentur. Rationem verò & occasionem canendi Psalmi, atque etiam singularem argumenti descriptionem, cum personæ, hoc est, serui redempti confessione, ipsemet auctor primo carminis versu, vt alias consueuit, indicat.

1. In finem, puero Domini Dauid, qui locutus est Domino verba cantici huius, in die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul, & dixit:

PVero Domini] LAGHEBED IEHVEH, Seruo Domini. *Quo nomine se Domini seruituti singulariter addictũ profitetur, vtpote à manifestis, plurimis, ac potentissimis inimicis ereptũ ac liberatum seeurumq; redditum.* Et de manu Saul] *Qui cùm rex esset, nihil non egit, nihil nõ tentauit, vt optimè de se multis modis merito exitiũ inferret. id quod certissimum singularis erga Dauidem tutelæ & curæ exemplum ducendum, atque in beneficij gratulationem cæterorumq; hominum doctrinam perpetuis celebrandum est laudibus. Notanter autem inimicis cæteris* palma, *Sauli verò* manus *adscripta: Namque idem vir postquam ex aula primùm exulauerat, in varia incidit cùm vicinorum tum etiam hostium pericula; adeò, vt aliquando comprehensus & captus, insania simulata, euaserit. Saulis verò manus regiam significat auctoritatem & potentiam, quæ longiùs multo quàm priuati palma protenditur. Namque ab hoc, non tantùm eminus iaculo & lancea petitus ac pænè transfixus, verùm sæpius per seruos & familiares ad necem quæsitus, semel etiam atque iterum, imò & sæpiùs, armata manu obsessus & vallatus, & multifariam vexatus atque insectatus narratur; quæ omnia Saulis, contumacissimi, inquam, inimici, dicuntur manus. Nos hoc loco, in ea inscriptione quam huic Psalmo carminibus reddendo interpretabamur,* è palma Saulis *per incuriam vertimus, quod corrigendum nunc adnotamus* è manu Saulis. Et dixit] *non modò composuit ac dedicauit, sed idem ipse in sancto loco voti compos pronuntiauit ac cecinit. Certam, veram, & animo cogitatam orationem verbum* VAIOMER *indicat, ac plus quàm apud Oratores* dicere *valet.*

2. Diligam te Domine fortitudo mea.

Totius carminis propositio vnico eodemq; breui versu contenta; qua Vates me-

tes meliorem sui partem, hoc est, animam & mentem, Domino misericordi & salutari ac sospitali iure ex voto addictam canit, eo nomine, quo se vitæ salutisq; suæ debitorem vnico liberatori confitetur. Atqui ad pericula omnia subeunda, ad magnas item res agendas, ea prima commendatur Virtus, quæ à Latinis fortitudo appellatur, duabusq; perficitur partibus, alterâ eademq; præstantiori quæ in animi vigore & constantia ponitur, & quâ, quid agendum vel ferendum & quemadmodum gerendum sit, præsenti semper consilio prospicitur, & firmato initur proposito. Hæc pars in sacra lingua HHAZAKAH *dicitur, eademq;, vt potior ac maioris æstimationis, affectum studiumq; præcipuum exigit, vtpote quæ ad salutem & vitam conseruandam intenta, ceteris virtutibus ac partibus animæ consulit ac prodest. Est autem duplex etiam amoris inanima affectio; simplex amor, quo quid sua natura bonum aut pulchrum vel est vel ducitur, consequenti quodam iure amatur, saltem amari meretur: atque hoc pacto Deum supra nos, & proximum nostri ipsorum instar amare, diuina lege iubemur. hæc autem affectio* AHABAH *dicitur. Altera verò affectio est, quæ non modò bonitatis æstimat rationem, sed etiam proprij atque vnicuique coniunctissimi & charissimi pignoris commodum ponderat & consequitur; qualis est matris erga proprios filios feruentissima charitas, cui impensi amoris numquam satis esse videtur. huic verò affectioni* RAHHAMIM *nomen est, quod in naturæ animalis partibus viscera significat, in quibus cum præcordiis cor & iecur ac renes numerantur; eademq; totius vitæ atque actionum & affectionum omnium vendicat dominium. idq; ex huius nominis etymo* RAHHAM *constat, quod feruidissimè atque impensissimè significat amare, totumq; sese in eius, quæ amatur, vel personæ vel rei cogitationem, studium, & charitatem, perpetuò impendere. Hoc verbum à Dauide in hac supplicatione vsurpatum, Latinus interpres noster vertit in* Diligam te. *quod intimo viscerum omnium atque totius animæ amore definiendum fuerit, vtpote qui ei debeatur Domino, qui internæ animi humani fortitudinis magniq; illius vigoris ad difficillima quæque superanda & vincenda caput, immo & ipsa fuerit ac sit fortitudo. Quod si huiusmodi animi vigori ac fortitudini, membrorum etiam tum firmitudo tum agilitas adiungatur, omnia roboris ad victoriam profectò constiterint momenta; maximè autem vbi locorum opportunitas, & armorum ac propugnaculorum commoda, firma ac tuta superarint munimenta: quæ quidem cuncta in vnius Dei præsidio ac tutela sibi posita & comprobata Vates commemorat; ea quæ ex verbo, indicandis translationibus, naturam, vim, & efficacitatem propriam nullis indicant ambagibus.*

Fortitudinis partes.

Amoris duplex affectio.

3. Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus adiutor meus, & sperabo in eum. Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.

Ad victoriam quæ necessaria.

Præter animi fortitudinem ac vigorem, corporis ac membrorum. tum situs

situs tum habitus, atque adeò repagula & munimina ad propugnationem selecta & commoda, constare oportet: quæ omnia, tam quæ interna & coniuncta, quàm quæ ex arte & vsu peti solent, vnica Dei virtute & efficacitate sibi posita, cognita, atque explorata, & multiplici salutis exemplo manifesta confitetur Dauid. Firmamentum meum] ZZELAGHI, rupes mea. *Altissima quæque & expugnatoribus inaccessibilis petræ statio,* ZZELAGH *dicitur; vt apud eundem Vatem,* Montes excelsi ceruis & ZZELAGH refugium herinaceis: *vbi interpres noster reddidit* Petra. *Quòd si ad naturæ loci opportunitatem, operis quoque adsit munitio, firmissimum habetur propugnaculum, cui* METSVDAH *nomen est, quali nomine etiam sibi Deum laudare Vates pergit. Vbi Latinè legimus* Refugium meum, *militari vocabulo præsidium dicitur, quò cum quis deuenerit, sese tutum ducit. Verùm vt quis ab inimicis insectatus eo euadat, & animo & celeritate, atque etiam propugnatore & eo qui hostium impetum à tergo retineat vel sistat vel arceat, opus est; atque hic, si contingat,* MEPALET *vocatur: idem verò virtutis & efficientiæ cum nomine Domino tribuit Vates,* liberator meus. *At verò vt hæc propria atque diuturna constent, custodem ac tutorem defensoremq; postulant efficacem, qualem sibi adfuisse & adesse Deum, nunc ob eam rationem* ELI *appellatum, idem gratulator prædicat.* Deus meus] ELI, Valens meus, *siue* robustus meus, *vix Latinè par inuenias nomen. Namque eiusmodi efficacissimos quondam viros, Heroas antiqui dictitabant, quales suos finxerunt Hercules: verùm neque hoc etiam vocabulum parem cum* EL *præstat virium æstimationem. Propugnatorem itaque suum efficacissimum vocat; eundem etiam tutorem & conseruatorem; subdens,* adiutor meus] TSVRI. *est autem* TSVR *munitissimus vndequaque locus & ad præsidij perpetui tutelam conformatus, cui adiungi solet verbum* HHAZZAH, *quod tutum esse significat, tanquam in latibulo nulla ex parte insidiis patente; receptaculum dici hoc possit apud nos: nam* HHAZZAH, recipi, *in hanc significationem interpretari nihil obstat. atque hoc quidem firmissimum, perpetuum & summum perfugium sibi esse, nomen* cornu *vsurpatum declarat. quod in animalibus propugnationis & expugnationis natiuum instrumentum, in rupibus verò ac montibus apicem prominentiamq; indicat præstantissimam, nullius q; hominum vestigiis peruiam. Idem etiam* protector meus *dictus,* MAGENI: clypeus meus *propriè dicitur Latinè. atque ita se se tutissimum contra omnia hostium tela perstare & perstitisse ait; vtpote cui tale contigerit scutum, quod nullis viribus, iaculis, aut plagis lædi, immò neque tentari quidem, possit. denique omnem munitionis, propugnaculi, salutis, tutelæ ac securitatis summam sibi in Deo vnico definitam duobus his versibus, qui exordij vicem præstant, confessus & gratulabundus prædicat Vates. id quod sibi manifestis & continuis exemplis probatum, cognitum & confirmatum temporibus rebusq; suis narrandis exponit. est autem narrationis initium illud:*

Psal. 103. Heros. Cornu.

4. Laudans inuocabo Dominum: & ab inimicis meis saluus ero.

Participium præsens futuro verbo adiunctum, consuetudinem cum perpetuitate concinnat. Laus quidem ad præteritorum exemplorum refertur commemorationem: inuocatio verò ad perpetuum facit morem. est autem huius versus illa explicatio. Inuocaturus ego IEHVEH *misericordis & afflictis præsentis ac tutelaris opem, memoria atque oratione beneficia iampridem apud homines comprobata repeto: quale illud exempli caussa fuerit;*

Psalm. 21. In te sperauerunt patres nostri: sperauerunt & liberasti eos. ad te clamauerunt, & non sunt confusi. *Talibus igitur pro re nata per me primùm appellatis & laudatis nominibus & exemplis, Dei in meam salutem implorare consueui & misericordiam, & fidem. quam demum certissimam opportunissimamq; experior, dum ab inimicis meis saluus euado & incolumis. neque verò hoc vnico tantùm vel simplici aut communi casu & argumento, verùm quàm plurimis ijsdemq; grauissimis tentatus & exercitus laboribus comperi. Atque laborum suorum terribilem & insuperabilem vim terribilibus deinceps describit imaginibus Psaltes.*

5. Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.

Animo & corpori suo ab inimicis allatas molestias duplici depingit imagine, alterâ funium, quibus per venatores partim tensis partim iectis, ferarum crura, pedes, & colla comprehensa & impedita atque occupata, absque vlla resistendi facultate, non secùs atque exanimato iam corpore, trahuntur: alterâ verò à quarum impotenti vi torrentium, quarum copiâ & impetu turbatum & commotum animal, nec subsistere valet, nec euadere aut enatare potest; maximè verò cùm ad impetum fragor etiam accesserit, qui vel sonitu ipso terrorem tremoremq; injecit. vtraque sese malo affectum commemorando, pingit Psaltes APHAPHVNI; *circumdare, ambire, vndique vexare & comprehendere significat verbum, vt in illo*

Psal. 39. *versu,* Circumdederunt me mala, quorum non est numerus, *idem vsurpatur verbum* APHAPHV. Dolores mortis] HHABLEI MAVETH, laquei mortis. *siue funes letiferi; quales auibus & feris capiendis, & suspendio vel distractione interficiendis, aucupes ac venatores parant.* torrentes iniquitatis] BELIAGHAL *in sacra lingua rei vel personæ adiungitur, cuius impetum ac temeritatem nec vlrò cogi*

Impotens. *ac sisti, nec à quoquam contingit cohiberi. Latinè dici licet* Impotens; *la-*

Nequam. *tiùs verò, apud poëtas præcipuè,* nequam, *& vitium ipsum* nequities

Nequities. *dicitur, ijsq; adscribitur, qui metus ac pudoris ruptis habenis in vitia pronè ac præcipites ruunt. cuiusmodi effrænato ad nocendum animo inimicos in se suos, magna manu, ingenti copia & festinatione, feciſſe impetum, idq;*

sæpius

sæpius iteraſſe ait ; nam hoc plurale nomen torrentes, *indicat. Idem etiam per expolitionis amplificat figuram.*

6. Dolores inferni circumdederunt me : præoccupauerunt me laquei mortis.

Perſtat in venatoria tranſlatione, cuius vna ex artibus eſt, in ipſo, qui à fera ſiue aue tenendus erit, certo tramite, foueam admodum capacem fodere, & laqueis ac pedicis probè inſtructam, ramis feſtucisq; impoſitis & puluere obductis operire ; quò imprudentiùs incedens animal, impotentiùs etiam exceptum pereat. Atqui fouea illa ſepulchri ſiue inferni inſtar ſe præbet. Nam SEOL *pro quo* infernum *ſiue* ſepulchrum *latini reddunt,* Infernus. Sepulchrū. *locum terræ communi facie inferiorem atque voraginem in ipſa terra ſignificat, qualia ſepulchra non omnia, ſed quæ in ſolo fodiuntur, vel vltrò hiant, vnde & hiatus etiam dicuntur, Hiſpanicè parum verſis elementis vocatur* Silo. *idem etiam vocabulum, ad animarum corpore exutarum lo-* Silo. *cum ſignificandum quondam vſurpatum videtur. Namque vt corporibus numquam terra, ſic etiam inferior illa capacitas animabus numquam ſatiari dicitatur. Cunctis itaque perditionis & exitij viribus, artibus, ac dolis petitum, vallatum, exagitatumq; ſe Vates ait, atque eò miſeriæ & ærumnæ calamitatisq; redactum, vnde nulla conſilij auxiliiue humani ope euadere poſſet, nec ſua ex parte præter clamoris atque implorandi Dei ſupereſſet quicquam facultatis.* præoccupauerunt] *Omnia ſibi euadendi loca vndequaque præcepta & occupata ait : quid igitur agendum?*

7. In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui. Et exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam : & clamor meus in conſpectu eius, introiuit in aures eius.

In tribulatione mea] BETSARLI, *in angi me, cùm angerer maximè, in ipſo maximæ & anguſtiſſimæ preſſuræ articulo, cùm cætera omnia me præter vocem deficerent. Semper enim antea patienter egiſſe ait, & inimicos toleraſſe ad extremum vſque preſſuræ tempus, quo tamen nec ad hominum opem conuerſum, quæ nulla aderat, nec ad maledicta ac diras in inimicos preces, verùm ad* IEHVEH *miſericordis poſcendum auxilium, & ad eiuſdem ſibi gubernatoris, iudicis, & vindicis noti fidem implorandam, fuiſſe intentum, idq; optimo & feliciſſimo euentu.* Et ad Deum meum clamaui] ESAVEAGH querelam cum gemitu fundam. *in futuro morem conſuetudinemq; ſignificationi addit. Quoties in eum ſtatum deueniebam, toties gemitu meum ciebam Iudicem. Quid itaque ab ipſo actum fuerit, quid pios omnes agere oportere intelligat, vbi docuit, certiſſimum diuinæ curæ ac prouidentiæ ſubiungit exemplum.*

Et exaudiuit] *Duobus, quibus vsus fuerat, verbis* inuocauit & clamauit *siue* ingemuit, *prouidentiam indicantia subiungit vocabula*, Exaudiuit vocem *inuocantis*, & clamor *gemitus* introiuit in conspectu eius. *inuocatio siue* KOL *vox pro oratione ipsa ponitur*, & SIVGHAH, *clamor siue gemitus, non fictus aut temere compositus, sed verè & serio atque ex animo profectus, cuius animi ipse testis, iudex, ac probator est. hoc significatur expolitione*, in conspectu eius. *Nam quæ ex animi interno affectu & fidei firmitudine non proficiscuntur voces & querelæ siue petitiones, ea Deus internorum cogitatuum inspector sibi reiecta ac repudiata improbat. S. S. E.* Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. *Verùm gemitum suum* in conspectu Dei, LIPANAIV, coram illo *manifestum in* aures eius *introisse asseuerat. atque humano sensu præditos homines ac mitioris ingenij compotes vehementius miserabili cuiusuis gemitu tentari ac dolentius etiam commoueri & percelli, experimento comperimus; nescio quid vltra communem vocem gemitu aures pungente, ad commiserationem & vltionem concitante: id quod & Iacobus Apost. consentiente huic loco significatione adnotauit:* Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est, clamat: & clamor eorum in aures domini Sabbaoth introiuit. *Quod verò expositione notatur*, De templo sancto suo, *mysterium continet non modò cælorum, in quibus habitare & coli Deus creditur; verùm humani animi, quod verum, sanctum, atque singulariter consecratum sibi adoptauit ac vendicauit vnicè Deus. Huius enim naturam & veritatem loci, antiquum primùm tabernaculum, deinceps verò Salomonis celeberrimum illud fanum per imaginem quandam adumbrauit. atqui precationes, vota, & petitiones piorum hominum non frustra, sed magna cum efficientia exaudiri, curarig à Deo, subiuncta poëtica eademq arcana & veri significationibus referta descriptione declarat Vates: cuius partes & particulas omnes nunc explicare, nobis breue commentarium professis & vrgentibus, minimè vacat; illud tamen affirmantibus, nullam poëtarum, quos Græcos aut Latinos commendat antiquitas, numinis in terram descendentis descriptionem quamlibet exquisita fictaq imagine, huic Dauidicæ veritati comparandam, necdum æquandam, posse proferri; in qua naturæ diuinæ humanis oculis conspici negatæ, certa tamen maiestas, auctoritas, ac bifariam sentienda efficacitas indicatur terroris atque vltionis, aduersum impios atque improbos hominum affectus, conatus, & ausus; rursum verò consolationis, gratiæ, ac salutis, erga pios ac simplices diuinamq prouidentiam ac fidem implorantes: vtriusque autem efficientiæ argumenta & signa ac testimonia, cælorum ac terræ maximorumq in rerum natura corporum concussione ac tumultu indicari, omnium Vatum atque huius præsertim imaginibus ac descriptionibus manifestum est: quorum vmbram & vestigia quædam consectari soliti aliarum gentium poëtæ, numquam tamen veritate, sed nec exæquanda artis imitatione assequuntur.*

Isai. 29. Matth. 15

Gemitus.

Iacob. 5.

Templum Dei.

Tabernaculi & templi figura.

Numinis in terram descendentis maiestas poëticè descripta.

8. Com-

8. Commota est & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis.

Ira Dei.

Dei vltoris vim & efficacitatem (quam iræ nomine humanus indicat sermo) non modò sensu præditis hominibus & animantibus terribilem, verùm orbi omni atque sensu carentibus mundi elementis horrendam, atque adeò sensibilem, Vates noster declarat. Quoniam iratus est eis } CHI HARAM LO, Quoniam *siue* Quando indignatio ipsi. *Quando indignatus irascitur Deus, non qui iræ affectu vllo moueatur (absit hoc à diuinæ naturæ præstantia) sed qui non secus malefacta humana vindicet, quàm qui ira percitus princeps aliàs potentissimus innocentum vlciscatur & propulset iniurias.*

9. Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit; carbones succensi sunt ab eo.

Ira Dei igni comparata.

Ignis triplex obseruatur status & in efficacitate gradatio: principio enim fumus conspicitur, materiam subiectam adorti, & comprehendere incipientis; deinde flamma exardens corripit, quæ tamen quandiu carbones non incendit, leuius hæsisse, & necdum corpus quod vrendum est penetrasse censetur. nam carbonum succensio absolutam pernitiem consumptionemq; molitur, atque hoc pacto diuinam iram non subitò euadentem sed lento procedentem gradu ac certo modo & ordine progredi solitam describunt Vates. concordat verò descriptio eius illa alia: Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, & parauit illum: & in eo parauit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit. *atque hæc voluntatem & animi (vt ita loquamur) impulsum spectant; casum, fortunam, exceptionesq; alias ab humana industria contra prouidentiam excogitatas excludunt.* Psal. 7.

Natura sub Deo.

Iam verò naturam omnem rerum Dei nutibus ac voluntati addictam parere & obsequi, eleganti currus & quadrigæ imagine declarat, simul & vim efficacitatisq; promptitudinem ostendit. Solenne enim Vatibus & hoc imitatis poëtis est, numinis ac virtutis numini adscriptæ ratione, certarũ notarumq; animantiũ dicato vsu adpingere sic ætheris naturæ, quam Iouem illi vocant, aquilam & fulmen; Iunonis verò, id est, aëris mediæ regioni, pauonem & iridem; amoris ac procreationis, columbarum par; atque aliarum rerum formas aliis ad efficientiam tribuere. Deo igitur viuo ac vero & vnicè efficaciss imo, cæli ac terræ imperium, & eorum, quæ maxima appellantur, mundi corpora, eademq; promptissima & agilissima ad obsequium addicta noster commemorat Vates.

Animantes diis dicatæ.

10. Inclinauit cælos, & descendit: & caligo sub pedibus eius.

Immobilitatem constantiamq; Dei, atque omni in loco omniq; tempore

UNIVERSIDAD DE MURCIA

Deus immotus vbique locorũ præsens.

præsens numen, cælorum inclinatio significat: non enim ipse vnquam suum cælum, hoc est, suum thronum deserit vacuum; sed quocumque velit, cælum ipsum, quamquam supremam obtinens mundi regionem, tamen inclinat, flectit, & vertit, immotus ac sedens ipse sibiq; semper constans: id quod cælorum etiam istorum, quæ oculis conspiciuntur, mutationes & efficacitates

Dei consilia.

contemplantibus animis facile cognitu est: quamquam aliàs quidnam illa portendant, quorsumue euasura sint ignoretur, propter humani ingenij obscuritatem & imbecillitatem, diuini consilij rationes, vias, & modos intueri & capere minimè, nedum Dei ipsius claritatem mortali sensu perferre valentem.

De Deorũ inuisibili præsentia Homerica comparatio.

Et quidem Homeri iudicium atque mentem numquam satis laudare posse videtur Plato (& ex antiquis Philosophis alij) qui diuinam naturam humanis oculis inuisibilem affirmare studens, Apollinem aliàs clarum ac splendentem illis putatum Deum, inter homines versatum, minimè conspectum tamen, νυκτὶ εἰκότα, id est, nocti similem, venisse canit: cùm nihil magis naturâ, quàm lux ac tenebræ, quàm sol & nox, pulchre deprehendantur, longè profectò elegantius, longè pulchrius, idq; verissimè,

Dei intuisibilitas à prophetis descripta.

Deum, quem lucem inaccessibilem perpetuò habitare, id est, quem lucem ipsam veram & æternam esse oracula prædicant sacra, non quidem lucem suam deseruisse, verùm inter ipsam & mortalis visus aciem caliginem intercedere, Vates noster describit: ita vt totus ipse Deus lux esse, caligo verò nec pedes quidem illius attingere, sed infra pedes offusa humanam contemplationem cohibere dicatur. iam verò naturam rerum, tam earum, quæ videri & conspici mortalibus possunt ac sentiri, cuiusmodi sunt ventus, aër, nubes, quàm spirituum corpore carentium atque sublimiori genere præditorum, auctori, gubernatori, atque imperatori omnium Deo seruire ac parere subiuncto docemur versu.

11. Et ascendit super Cherubim & volauit: volauit super pennas ventorum.

Dei currus.

Currus Dei pingitur ac describitur, qui non ex ligno, auro, aliáue corporea materia constat; sed Cherubim coniunctis alis substernitur: alludituq; ad geminam illam infantium effigiem, quos ex auro ductos, alis inuicem protensis ac sese contingentibus, in tabernaculi sancti adyto super fœderis arcam & propitiatorium collocari Deus iusserat; hos nos cùm sacrum moliremur ac describeremus apparatum, maris ac fœminæ infantium formam expressisse dicebamus; tum ex vocabuli CHERVB *interpretatione idem valentis atque latinum hoc,* Sicut infans, *tum verò ex arcana significatione intellectus ac mentis siue voluntatis, quibus concordibus atque diuinæ legi innixis attenteq; obsecundantibus Deus insidere & quiescere significatur: hinc enim illud est,* Qui sedes super Cherubim. *atque hoc in Psalmo, quem commentamur,* Cherub *singulari pronunciatum numero, vnum ex supernorum spirituum Deoq; erga homines ministrantium ordinem indicat;*

Cherubim propitiatorio imposita maris ac fœminæ forma.

Cherubim significatio

Psal. 79.

Cherubim angelicus ordo.

cat ; quem cum aliis omnibus Deo subditum hic idem canit Vates, Qui fa- *Psal.103.*
cis angelos tuos, spiritus ; & ministros tuos ignem vrentem. *Velocissimam atque exactissimam imperij voluntatisq; Dei maturationem ventis ad currum admotis indicat,* Et volauit] *Ad Cherubim alas refertur prius verbum* VEIAGHAPH, *posterius ad ventos*, VEIADA, volauit, *intendit, impulit : corporum namque omnium celerrimum atque agilissimum ventus est, qui* vbi vult spirat ; & vocem eius audis, sed nescis *Iohan. 3.*
vnde veniat aut quò vadat. *adnotanter autem tam superni spiritus, quàm venti & corporum omnium natura & vis Deo substrata, subdita, & longè inferior significatur voce illa*, GHAL, super, *vbique repetita. solent autem currus cortinis obtentis aut alio velamento instrui : ita vt qui vehuntur, videre eos qui foris versantur, possint ; ipsi verò non videantur, aut quid intus agant obseruentur. Qualia verò velamina Dei currus prætendat, audire est ; non solùm quæ circumspicientem obtutum arceant, sed quæ animos etiam turbent ac terreant.*

12. Et posuit tenebras latibulum suum: in circuitu eius tabernaculum eius, tenebrosa aqua in nubibus aëris.

Ipsum ab omni impressionis ac procellarum impedimento immunem ait, nec se conspici sinere, nec quid agat, quidue aut quibus paret, pernosci, vtpote obiectis vndique tenebris & imbribus magnis etiã atq; obscuris nubibus densissimis immissis. in nubibus aëris] GHABEI SEHHAKIM, densitates nubium. *Omnem præterea terribilium rerum naturam, quamquam inter se diuersam atque discordem, tamen Dei imperio parentem summa conuenire concordia testatur, atque eodem tempore suas vnamquamque vires exercere, suasq; præstare partes ; vtpote quæ non vario ac diuerso, sed vnico eodemq; efficacissimo & sapientissimo pareant atque obediant numini.*

13. Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando & carbones ignis.

Impiorum ac diuinam prouidentiam negantium animos fulgura, tonitrua & fulmina communiter terrere & conuincere solent. id quod complu- Fulgura animos prouidentiam negantium maximè turbant. *Horat. lib. 1. Od. 34.*
ribus in historiis adnotare licet, atque ab vno ex istis confessione declaratum audire est.

—— Namque Diespiter
Igni corusco nubila diuidens,
Plerumque per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum;
Quo bruta tellus, quo vaga flumina,
Quo Styx, & inuisi horrida Tænari

Sedes,

Sedes, Atlanteusque finis
Concutitur. Valet ima summis
Mutare, & insignem attenuat Deus. *& ille etiam alter de istorum pauore & contentione.*

Iuuenal. Sat. xiij.
Hi sunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent;
Cùm tonat, exanimes primo quoque murmure cæli.
Non quasi fortuitu, nec ventorum rabie, sed
Iratus cadat in terras ac vindicet ignis.

Præ fulgore] MINOGHA à fulgure, *hoc est, fulgore præeunte: nam fulgetra tonitruum præcurrunt: quæ quanto spendidiora visuntur, tanto vehementiorem frigidorum & ignitorum corporum vim discutiunt, ita vt eodem momento grando & fulmina in terras grassentur immissa.*

Fulmen. Carbones ignis] *Fulminis naturam significat, quod nihil aliud est quàm acerrimum sulphur suo ipsius calore incensum: vt in Naturæ historia differebamus. atque hæc omnia in sublimi generata & in terras immissa, non casu aut naturæ cæco impetu, sed voluntate iussuq; Dei parari, fieri, atque euenire Vates asserit.*

14. Et intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam: grando & carbones ignis.

Ipse rerum ordo ad prouidentiam & efficientiam Dei consultò indicatur. namque in hoc genere sic comparantur omnia; primùm fulgur siue fulgetrum conspicitur, deinde tonitruum auditur fragor, quem grando atque incensa consequuntur fulmina. de cælo Dominus] *non casu, non ex loci aut regionis aëriue ingenio, sed ipsius Domini iussu ac voluntate, atque in hunc etiam sensum illud à Mose asseueratum interpretari conuenit.* Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo. *Intellexerat nimirum dum hæc scribebat Moses, non defuturos qui vrbes illas ex bituminosi soli ingenio correptis ignibus conflagrasse scriberent: quamobrem illud consulto ac prudenter adnotandum repetiuit,* à Domino de cælo. *itaque non temerè aut casu, sed certo consilio sublimia parari, confici & exerceri, sacri docent Scriptores: Moses ciuitatum illarum perdendarum caussa, Dauid verò elementa omnia ad sui liberationem & inimicorum castigationem ex Dei nutu agitata fuisse canit. quod, quamquam ex historiæ simplicitate factum non constat, tamen ex euentu arcanis modis comprobatur effectum: poëtica namque imagine ac vehementis procellæ descriptione id in animis, mentibus, atque adeò in corporibus inimicorum euenisse asseuerat, quod aliàs ijsdem istis rerum exemplis edi conficiq; solet: verùm de his arcanis nunc non est agendi commoditas. Itaque euentum spectans adiunxit:*

Sodomorum conflagratio à Domino de cælo. Gen. 19.

15. Et

15. Et misit sagittas suas, & dissipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.

O vtinam hæc nobis ex propria, quam celant, spiritalium rerum significatione interpretari fas foret, Sagittas suas] *fulmina intelligimus; quæ vt Ioui delusa antiquitas, ita Deo vero & vnico vera philosophia tribuit. Namque hoc vnum genus eorum exercituum est, quos incorporea natura promptos & ad omnem nutum instructos diuina prouidentia conseruat. atque illud germanè & ex Oeconomia rerum distributum adnotandum est, fulminibus disiectos dissipari homines, non perdi tamen omnes, verùm fulgure crebro lucenti turbari, & oculis ac sensibus pauescere singulos. Namque fulminis ictus pauciores multo quàm fulguris lux & splendor corripit; eodem enim temporis momento* Fulgur erit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem. *atque non simili aut pari animi affectu & sensu huiusmodi mutationes à mortalibus omnibus excipi & spectari deinceps declarat Vates; siquidem hæc omnia terrorem & correptionem impijs atque improbis moliuntur, piis verò atque innocentibus probisq; viris consolationem & exhortationem parant, iuxta illud:* His autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra: & nolite timere vos.

Dei exercitus. *Matth. 24.* *Luc. 21.*

16. Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata sunt fundamenta orbis terrarum: Ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.

Magnas mortalium calamitates & humanarum rerum conuersiones & mutationes, antiqui ac decãtati diluuij imagine sacri Vates indicare solent. Fuerat autem diluuij, vti nouimus, duplex caussa; altera exitium impiorum, altera verò piorum salus & conseruatio: vtrumque enim Deus Noahho denunciauit. Finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra. Fac tibi arcam de lignis læuigatis. *Atque huius argumenti ac significationis illud est:* Verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt. Tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me. *Diluuij autem impetus præter communem naturæ & imbrium exemplum excitatus, manifestum singularis efficientiæ Dei atque prouidentiæ præbuit argumentum.* Anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimodecimo die mensis, rupti sunt [*vna eademq; die*] omnes fontes Abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt: & facta est pluuia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus. *Inimicorum itaque suorum calamitatem diluuij instar repente allatam canit Vates, idq; manifesta Dei iu-*

Diluuij caussæ. *Gen. 6.* *Psal. 31.* *Gen. 7.*

dicis ac vindicis voluntate ac sententia. Ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ] MINESEMATH RVAHH APECHA, ab halitu spiritus naris tuæ. *In naribus enim excandescentiæ impetus proditur. vna enim die inimicorum Dauidis exercitus fractus, fusus, ac penè consumptus, & Saul ipse inimicitiarum caput interfectus narratur. Eadem etiam luce Dauidi salus constituta atque firmata & certo indicata fuit nuncio, non secus atque Noahho quondam contigerat, S. S. E.* In articulo diei illius ingressus est Noe, & Sem & Cham & Iapheth filij eius, & vxor illius, & tres vxores filiorum eius cum eis, in arcam. *In hunc itaque modum sibi à Deo consultum prædicat Vates;*

Nares.

Gen. 7.

17. Misit de summo, & accepit me: & assumpsit me de aquis multis.

Atque hactenus translationem persecutus, iam deinceps porrò interpretatur, qualésque aquæ illæ fuerint, à quibus exceptum se dicat, simplicibus explicat verbis:

18. Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab his qui oderunt me: quoniam confortati sunt super me.

19. Præuenerunt me in die afflictionis meæ: & factus est Dominus protector meus.

Pacem verò deinceps ac securitatem publicè priuatéq; eiusdem Dei beneficio ac munere partam, atque omnia hæc cum iustitiæ diuinæ veritate & auctoritate conuenire docet, atque ex consequenti humanæ prauitatis industriam, quamuis potentissimam, tamen ad summum improbitatis gradum atque ad se prorsus prodendum peruenire sitam, repentino demum impulsu turbari, corruere, atque perdi declarat.

20. Et eduxit me in latitudinem: saluum me fecit, quoniam voluit me.

Quoniam voluit me] *Rationes suas vt simplices ac veras Deo iudici probatas & acceptas fuisse significat. id quod plenius etiam explicat & persequitur. Verbum* voluit *diuinam probationem simul cum virtute & efficacitate coniunctam, etiam apud Latinos poëtas, declarat: vt,*

Velle.

Et minax (quod sic voluere) ponto
Vnda recumbit.

21. Et retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam, & secundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi.

Inimicorũ Dauidis oratio.

Inimicorum Dauidis prætexta in speciem oratio fuerat illa, scilicet se suam

suam causam defendere aduersus audacem, ambitiosum, ac tyrannidem occupare molitum hominem, atque adeò infidelem seruum, dominoq; suo legitimo, atque diuinis responsis electo & constituto regi, insidias struentem atque exitium armata manu afferentem. cuius argumenti illud est: Quis est Dauid & quis est filius Isai? *hodie increuerunt serui qui fugiunt dominos suos. à qua calumnia Dauid se diuino iudicio liberatum ipso docet, & combrobat exitu, nempe se nihil præter Dei voluntatem & consilium atque etiam iussum, legem ac mandatum, egisse vel tentasse.* 1. Reg. 25.

22. Quia custodiui vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo.

23. Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo: & iustitias eius non repuli à me.

24. Et ero immaculatus cum eo: & obseruabo me ab iniquitate mea.

Morem, consuetudinem, certum ac deliberatum consilium, perpetuumq; agendi modum, verba hæc omnia futuro tempore pronunciata, vt sæpe aliàs docebamus, significant. Ea verò sibi non ex humana aut vulgari opinione, non ex hominum interpretatione, qui plerumque mendosi ac mendaces deprehenduntur, sed ex iustissimo Dei iudicio æstimata atque declarata asseuerat:

25. Et retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam: & secundùm puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius.

Non ad arrogantiam referendũ id fuerit quod ex officij integritate quisquam rectè egerit, præcipuè cùm id Deo iudici probatũ certus & manifestus declarauit exitus: nec verò id cuiquã pro se apud Deum alleganti superbiæ aut insolentiæ dandum, modò simpliciter & candidè pureq; fiat. Siquidem candor, simplicitas, & veritas in his numerantur partibus, quæ Deo simplicissimo ac veracissimo manifestissimè probantur; sicut in Abrahami, Abimelechi, & aliorum quàm plurimis edocti sumus exemplis; Deum videlicet sese erga homines eo pacto, quem ipsi sibi optauerint & instituerint gerere hoc diuinum (vt ita loqui sit fas) ingenium, appositissimè noster prædicat Vates. Officij integritas nõ superbè allegata. Deus vt se erga homines gerat.

26. Cum sancto sanctus eris: & cum viro innocente innocens eris.

Apostrophe figura nescio quid fiduciæ in dicentis animo indicat, dum is de quo tamquam absente priùs agebatur, in sermonem subitò veluti præ-

UNIVERSIDAD DE MURCIA

sens inducitur, atque argumentum quod tractatur concedere ac probare videtur; siue id interrogando siue asseuerando pronuntietur. Laudat igitur Vates Dei integritatem, qui cum omnibus hominibus, vt verus patet atque Dominus consulat, vniuscuiusque rationem habet, qualem veritas, æquitas & ratio iusq; postulet. atque ita se sapientissimum, iustissimum, ac misericordissimum declaret, qui digna actis, consiliis ac factis, non modò rei exitu, sed modo etiam reponat; hoc videlicet pacto vt simplices, candidos & innocentes, ingenua simplicitate & comitate tractet, eos verò qui per dolum, fraudem, vel per vim & potentiam propositum inire & vrgere parant, conceptæ ab ipsis fraudis partu, hoc est, ipsomet mendosi instituti exitu, deturbet, labefactet, ac dissipet. Verborum autem definita significatio res ipsas facilè indicabit, hoc est, morum diuersitatem in hominibus, quam diuinæ æquitatis ratio pro singulorum bonis aut malis meritis consequitur. Cum sancto sanctus eris] GHIM HHAZZIQ THITHHHAZZED, cum pio te ipsum pium benignumque præbere soles. *verbum* THITHHHAZZED *reciprocæ formæ est.* cum innocente] GHIM GEBER THAMIM THITHAMEM, cum viro sano atque integro te præstas integrum ac sanæ mentis.

27. Et cum electo electus eris: & cum peruerso peruerteris.

Et cum electo electus eris] VEGHIM NABAR THITHBARER. NABAR *purum candidumq; atque ita egregium & electum significat, eum, inquam, qui nihil exceptionis ad probitatem admittat. Atque*

Probitatis partes. *hi sanitatis ac probitatis quasi quidam sunt gradus mentis, imprimis pietas, cogitationum atque consiliorum sanitas ac simplicitas, actionum, & factorum expedita puritas. quibus probitatis partibus vitium aduersatur, quod*

Prauitas. *sacra lingua* GHAKSVTH, *id est, prauitatis, nomine notatur. est enim* GHIKES *quidquid à recto deuiat, id verò vitium cordi primùm magis & menti datur, ex quo cogitationes praua, fallaciæ, fictiones, atque improbæ & iniquæ simulationes, ac doli demum proficiscuntur, importunissima penitus mala & diuinæ bonitati ac simplicitati prorsus inuisa. S. S. E.*

Prou. 11. Abominabile Domino GHIKES LEB cor prauum: & voluntas eius in iis, qui simpliciter ambulant. *Qualem verò sese Deus aduersus huiusmodi ingenia præbeat, declarat opportunissimè Vates,* VEGHIM GHIKES THIPATHEL. *In superioribus comparationibus eiusdem verbi vsurpatio eandem agendi significabat rationem, in hoc verò oppositione siue contentione variè vsurpata sunt vocabula* GHIKES, *quod*

Astus. *iam interpretati sumus, &* PATHAL, *quod non tam ad consilium & voluntatem quàm ad modum agendi refertur, idq; ad artem, industriam, argutiam, acutumq; inuentum magis quàm ad animi impulsum refertur. Illud enim prius* GHIKESVTH, *siue* prauitas, *nulli citra vitij notam adscribitur, vtpote quod cordi ac menti hæreat. hoc autem posterius* PATHAL *interdum ex calliditate & vafritie, nonnumquam verò ex prudentiæ*

dentia ac dexteritate instituitur. Nam si quis malo dolo cuipiam insidias fraudemq; molitus, ab illo cui parabat, aut ab alio similibus vel diuersis eludatur aut capiatur commentis; prior ille propriè GHIKES, *prauus ac peruersus, posterior verò* POTHEL, *acutus, astutus, ac elusor dicitur; cùm ille ex inferendæ iniuriæ studio, hic verò ex propulsandæ animo & prudente consilio, egerint; quare verbum* PATHAL *ambiguæ adnotationis est, atque ex animi agentis impulsu laudem culpámue adrogat. Hinc adeò fit vt nonnumquam cum* GHIKES, *interdum verò seorsum atque absolutum obseruetur, & inter diuersas partes illud semper improbæ, hoc verò nonnumquam meliori, id est, ei qui fallacia alia aliam truserit, adscribatur: cuius argumenti illud insigne nobis exemplum;* & cùm venisset [*Iesus*] in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum & seniores populi, dicentes: In qua potestate hæc facis? & quis tibi dedit hanc potestatem? Respondens Iesus dixit eis: Interrogabo vos & ego vnum sermonem; quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hæc facio. Baptismus Ioannis vnde erat? è cælo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter se, dicentes: Si dixerimus, è cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam: Omnes enim habebant Ioannem sicut prophetam. Et respondentes Iesu, dixerunt: Nescimus. Ait illis & ipse: Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio. *Dolosam & fraudulentam captionem, repentina, prudente, atque ex ijsdem petita locis argumentatione Iesus hoc in colloquio refellit. Hoc verò, nempe modestiam simplicitatemq; fouere, iuuare ac tueri; contrà verò superbiam, arrogantiam, & insolentiæ genus omne odisse ac pessundare, antiquum certumq; Deo esse Vates asseuerat.* *Matth.21.*

28. Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis.

Futurum tempus in naturæ atque morum argumentis perpetuitatem consuetudinemq; significat certam; superbiæ & arrogantiæ indicium in oculis ac supercilio præcipuè notatur ac reperitur: Generatio cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in alta surrectæ. *Oculorum autem nomine cogitationes & consilia significantur, quæ primum in humanis actionibus obtinent locum. ea verò cum ab insolentia & superbia proficiscuntur, diuinæ sapientiæ vi & efficientia labefactari & cassa irritaq; euadere Psaltes ait; contra verò modesta instituta & vota ad salutem & felicitatem dirigi & promoueri. ipse autem ex antitheto rem ipsam explicat, & oculorum nomine prudentiam, luminis verò, sapientiam, tenebrarum autem ignorationem, errores, inscientiamq; significari declarat, & quod in vniuersum de Deo pronuntiarat, suarum etiam rerum singulari confirmat exemplo.* Futurum tempus. Oculi & supercilia superborũ. *Prou. 30.*

29. Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.

Animi lucerna. *Luc.* 11. *Matth.* 6.

Quod erga corporis ac sensuum vsus lucerna, hoc erga animum prudentia præstat; consilium videlicet, sine quo res instituí & geri non possunt, huius autem significationis illud est; Lucerna corporis tui, est oculus tuus; si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit. Si lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipse tenebræ quantæ erunt? *Igitur agendis gerendisq; rebus viam primùm aperiri indicariq; oportet, id quod sibi diuina præstari gratia fatetur Psalites; consilium autem certum facti maturitatem poscit, cuius expediendæ caussa & vires & opes & arma atque circumstantiarum opportunissima quæque parantur. Quæ omnia sibi quoque auctore constare Deo gratulatus declarat. tum quidem quæ ad creatum sibi periculum declinandum & euadendum, tum verò ea quæ ad retundendam frangendamq; inimicorum superbiam & vim vi repellendam fuerint necessaria.*

30. Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.

Fides.

Quamquam (inquit) obsessus vallatusq; premar, tamen nominis & efficacitatis istius virtute & periculum perrumpam, & murum quo conclusus & obsessus tenebar, transilire potero. Quemadmodum verò hoc fiat, quoq; pacto ipse sibi diuinæ opis conciliet copiam, opportuna occupatione declarat; nempe inquam fidei virtute, quæ sui vere & legitimè compotes numquam frustratur: est autem fidei fundamentum diuinorum effatorum constans veritas.

31. Deus meus impolluta via eius: eloquia Domini igne examinata: protector est omnium sperantium in se.

Fidei laudes. *Hab.* 11.

Huius confessionis & argumenti veritatem in suas de fidei laudibus partes allegare solet Paulus: Deficiet me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Iephte, Dauid, Samuel, & Prophetis: qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam [*legalem,*] adepti sunt repromissiones [*terrenas,*] obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum. *Hæc & complura alia ex vno simplici & communi dicto deducta obseruare est; nempe,* Deus meus impolluta via eius. *atque hoc loco nomen* EL *appellatur, quod tametsi Latinè redditur* Deus, *vt alia etiam, tamen singularem continet virtutis & efficacitatis rationem: Fortissimi, inquit, via & consuetudo sana, integra, ac sibi vndequaque similis & constans permanet. est autem*

tem via hæc probatissima omnibus exemplis, dictorum & effatorum Domini veritas. Hoc in orationis membro sacrosanctum illud vsurpatur IEHVEH *nomen, quod ad misericordiæ promissa & constantiam referri identidem commonemus;* IMRATH IEHVEH TSERVEPAH, Dictũ Domini purum putũ. *Hispanicè*, dicho del señor apurado. *Prima versus huius pars vim efficacitatemq; secunda verò voluntatem & promissionem Dei asserit: ex vtraque autem infertur tertia illa*, Protector est omnium sperantium in se. *in exemplari* MAGEN HVLE CHOL HAHHOZZIM BO, clypeus ipse omnibus succedentibus ipsi. *Hispanicè* escudo para todos los albergantes en el. *Atque Latinum verbum* succedere *huic interdum vsurpationi eleganter inseruit: vt,* successissimus antro. *Commodè autem docemur nullum humanum consilium aut factum sine Deo rectè aut vtiliter vniri & institui, nullum autem esse Deum gubernatorem nisi vnicum* IEHVEH; *quem Israëlis gens, hoc est fidelis & verè pia confitetur, prædicat, & colit Ecclesia.* Succedere. Verg.

32. Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum?

Diuinitatis ac numinis rationum summam duobus nominibus complectitur Vates, gubernatione, & virtute: in gubernatione consilium & voluntas, in virtute facultas cernitur. vtramque summam vni IEHVEH *propriè, legitimè, ac singulariter tribuendam esse asseuerat, idq; tribus insinuat vocabulis* ELOHAH, *quod gubernatorem,* IEHVEH, *quod benignum consultorem promissoremq;,* TSVR, *quod petram, rupem, basim, centrumq; interpretari licet. Itaque* TSVR, *id est, rupes, hoc loco, tutoris vnici, Dei inquam Israëlis virtutem & curam atque protectionem significat. id quod in vniuersum atque in genere asseueratum, suæ salutis confirmat exemplo, cuncta videlicet sibi ad victoriam curante Deo constitisse docens. Sunt autem illa ad rem strenuè gerendam cumprimis opportuna, armorum probata copia, situs ac soli tum ad aggressum tum etiam ad prælium electio, deinde verò corporis ac membrorum agilitas, demum robur ac dexteritas; quibus arma & haberi firmiter & commodè atque doctè tractari possint, tum feriendo, tum etiam aduersarij ictus & impetus retundendo ac frangendo. Primam igitur partem sic ille sibi ex diuino arrogat munere.* Diuinitatis summa ratio.

33. Deus qui præcinxit me virtute: & posuit immaculatam viam meam.

HHAIL, *vim, virtutem, & copias Latini interpretantur, quæ omnia sibi ex Deo suffecta, Deo inquam* EL, Forti, *ac fortitudinem sibi suggerente.* Immaculatam viam] *Ad militarem viam alludit, cui expediendæ non postremam oportet esse curam, ne quid militaria impediat, aut* Via militaris.

aut moretur itinera. THAMIM, Sanam, *firmiter atque liberè instructam. Hoc quod ad arma apparatumq; bellicum: quod verò ad agilitatem, celeritatem, atque ad robur & firmitudinem facit, deinceps persequitur.*

34. Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum: & super excelsa statuens me.

35. Qui docet manus meas ad prælium: & posuisti vt arcum æreum brachia mea.

Tanta brachiorum vi ac firmitudine se à Deo præditum gratulatur, vt æreos etiam arcus siue calybeos, quales ballistarum sunt, non multa contentione frangere nihil impedierit. VENAHHATHAH KESETH NEHHVSAH ZERVGHATHI, & fregit arcum calybeum brachium meum. *Neque verò in leuibus aut facilibus & commodis periculis virtutem sibi suffectam, sed in grauissimis ac durissimis rebus, id quod magnum & euidens argumentum fuerit præsentis numinis ac singularis tutelæ Dei.*

36. Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, & dextera tua suscepit me: Et disciplina tua correxit me in finem, & disciplina tua ipsa me docebit.

THEZZAGHADENI VEGHANOTHECHA THARBENI, confirmasti me & ærumnis tuis auxisti me. *Id quod deluſa antiquitas de suo fabulata est Hercule, verè de se Vates hic prædicat, hoc est, magnis & frequentibus laboribus ex diuino permissu tentatum quidem, diuinæ tamen tutelæ munitum præsidio euasisse victorem: id quod cùm fide primùm imbutus, & animatus intellexisset, deliberato tamen subierit animo, ac demum felici confecerit euentu.*

37. Dilatasti gressus meos subtus me: & non sunt infirmata vestigia mea.

Liberum & expeditum sibi ad pugnam laboresq; sustinendos, atque ad dimicandi opportunitatem, constitisse locum ait; animum quoque ita firmatum, vt in ipso etiam certaminis ardore, ac tumultu nec mens nec pes labarit; immò adeò valuerit, vt cedere coactos aduersarios ad extremum vsque persecutus fuerit exitium: itaque fidei subsidio fretus ipsum sese his animarit verbis:

38. Persequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non conuertar donec deficiant.

39. Con-

39. Confringam illos, nec poterunt stare; cadent subtus pedes meos.

Hanc ex fide conceptam fiduciam non irritam, immò efficacissimam, sese primùm agnouisse, atque euentu deinde ex animi sententia spectato fuisse comprobatam.

40. Et præcinxisti me virtute ad bellum: & supplantasti insurgentes in me subtus me.

41. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum: & odientes me disperdidisti.

Non ait Saulem, æmulos, inuidos, maleuolosq; cæteros à se fusos & interfectos fuisse (quippe qui clementissimus erga illos fuerat, & cùm semel atque iterum perdere posset, noluerat, immò seruarat vltro; id quod non longè antè hoc ipso carmine significauerat ipse: Et retribuit mihi Dominus secundùm iustitiam meam, & secundùm puritatem manuum mearum retribuit mihi) *verùm enimuerò victoriæ suæ spem certam ex fide conceptam Dei vindicis numine ac iudicio euentum sortitam fuisse affirmat. Namque diuini iudicij decreto edita sententia est, per Samuelem pronuntiata, & Palæstinorum genti ad executionem commissa, atque ipsius etiam Saulis manu ad extremum persoluta.*

42. Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret, ad Dominum; nec exaudiuit eos.

Nam qui opportunè moniti, docti, atque à mala mente reuocati, iniuriæ tamen faciendæ proposito non retrahuntur; in ea sese vltrò inferunt pericula, ex quibus ad euadendum frustra vota suscipiunt. S. S. E. Date Domino Deo vestro gloriam antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos: expectabitis lucem, & ponet eam in vmbram mortis, & in caliginem. Pertinaciæ pœna. *Hierem.* 13.

43. Et comminuam eos, vt puluerem ante faciem venti: vt lutum platearum delebo eos.

Victoria quamuis parta, nisi maturo atque expedito firmetur vsu, nec triumphum meretur nec laudem solidam cum securitate procreat. Igitur cui vtrumque contingit, id est, vincere & victoria vti ac frui, eidem Dei numen ac iudicium certissimè fauere agnoscit: ita autem à se victos & profligatos hostes ait, vt proculdubio omnes omnino in posterum perditos deletum è medio, sublatum iri adseueret. id quod duplici similitudine adnotandum canit, puluerisvidelicet in terra strati, indeq; commoti & sublati atque vehementi vento obiecti; qui quamquam in turbinem oculis mo- Victoriæ confirmatio.

leſtum tollatur, tamen ſpiritus vi diſiectus ita diſſipatur, vt nequa pars cum aliqua alia coniungi & vires valeat recuperare: tum etiam luti platearum, quod vel calonum & lixarum opera aſportatur, vel frequentatorum pedibus conculcatum demum diſperit. Talem porrò inimicorum & æmulorum & inuidentium exitum, qualis comitetur & conſequatur euentus, prædicitur; nempe pacatio ac ſedatio vulgi, aliàs inconſtantis iudicij & ad præſentis tempeſtatis impulſum ſuo ingenio flecti ſoliti: denique obedientia & obſequium, atque iugi & imperij receptio. Quem euentum nationes quoque aliæ contemplatæ, atque vt manifeſtæ Dei tutelæ ac prouidentiæ argumentum admiratæ, fœdere etiam pacis & amicitiæ atque communionis & gubernationis compoſito proſequantur & amplificent.

44. Eripies me de contradictionibus populi: conſtitues me in caput Gentium.

Hanc verò non modò patientiæ & lenitatis, ſed beneficentiæ quoque in aduerſarios victoriam, quanta exſpectet laus & commendatio; ex aduerſariorum conſequenti vituperatione, probro & nota, declaratur:

45. Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi.

Palæſtinorum complures Dauidi ſæpius ſub iugum miſſos, atque Armeniorum partem vltra Damaſcum quoque expugnatam, ex ſacris conſtat hiſtoriis; atque ex conſequenti, gentes illas & alias Regis huius felicitatem ſingulari Dei tutelæ, numini, ac præſidio tribuiſſe: ex quo manifeſtè apparet pudere debuiſſe eos, qui cùm prudentiùs ac melius agere poſſent, hoc eſt, diuinæ voluntati obſecuti quem gratum Deo eſſe intelligerent ſuſcipere ac fouere, tamen improbè contemnere, negare & reijcere auſi ſunt.

46. Filij alieni mentiti ſunt mihi: filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis.

Iſraëlitæ, qui à ſe deſciuerant, filij alieni, *à Vate vocantur; vel quòd ſeſe vltrò abalienarant, vel quòd alieno, hoc eſt, aduerſario ſuo per Dei oraculum abdicato, nihilominus addixerant. Exemplaris lingua rem ipſam apertiùs exprimit;* BENEI NACHAR, *ædificati alieni, qui ad alieni domum & clientelam ſeſe vſurpatos voluerant. Namque nomen* filius *non exprimit planè nominis* BEN *ſignificationem.* Inueterati ſunt] IIBALV, *marceſſebant: Verbi tranſlatio hoc loco ſumitur à lapidibus, qui ædificationi admoti & applicati, non tamen conueniunt nec hærent.*

Claudicauerunt à ſemitis ſuis] VAIIHHARGV MIMAGAROTHEIHEM, & labefactati ſunt ex cauernis ſuis: *Tranſlatio ducta à lapidibus perperam in pariete locatis, id eſt, minimè conuenientibus*

prauegq.

praueq́, positis. Potest eadem translatio à ramorum deciduis foliis peti: verùm nomen BENEI, *id est, lapides siue filij, priorem præfert translationem. Iam quæ dicta, narrata & exposita sunt, omnia eò tendunt vt felicitatis verus atque vnicus auctor Deus agnoscatur, agnitus prædicetur ac laudetur. id quod à Vate studiosè ac piè præstatur.*

47. Viuit Dominus & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ.

Benedictus Deus meus] BARVCH TSVRI, benedictus petra mea *siue* rupes mea. *Virtutis & efficacitatis omnis centrum & fundamentum Deus gubernator appellatur; cuius muneris est totum quod hoc in carmine quôdque aliàs laudandum narratur & celebratur.*

48. Deus qui das vindictas mihi, qui subdis populos sub me: liberator meus de inimicis meis iracundis.

Gratulatorio epilogo carminis totius cogitur summa, postremo nomine & capite rerum primùm repetito. Namque priùs ex ordine inimicorum insidiæ pessumdatæ, deinde turbæ compositæ, postremò nationes ad obsequium deuictæ & admissæ narrabantur: nunc verò posteriora hæc repetendo vsurpantur. Deus] HAEL, fortis ille; *elocutio ex apostrophe apud Vates familiarissima. Tria præcesserant in narratione; inuidorum clades à Deo decreta, & per alienam manum edita, hoc est, Palæstinorum; deinde dissipatio & fusio potentiorum & vim inferentium; postremò populi ac turbarum sedatio, & hæc consequuta aliarum gentium obsequia & fœdera.*

49. Et ab insurgentibus in me exaltabis me: à viro iniquo eripies me.

Et ab insurgentibus in me exaltabis me] APH MIN KAMAI THERVMEMENI, immò ab instantibus & præstantibus mihi exaltas me. *Pulcherrima allegoria, se magnis, potentibus, ac sese opprimere molitis superiorem redditum, idq́, ex diuino beneficio assecutum gratulatur: alludit q́, ad staturæ suæ breuitatem, & ad Goliathi quondam monstrosam corporis molem, atque adeò ad Saulis proceritatem; hac etiam imagine superbiam, insolentiam, & arrogantiam aduersariorum notat, vnà cum potentia & fraudulentis artibus & insidiis, quibus diu ac sæpe petitus ac vexatus fuerat præcipuè à Saule ingratè & iniquè semper aduersum se agẽte, per summamq́, insolescente iniuriam.* A viro iniquo eripies me] *viro iniurioso; qui nec religione nec pudore ab iniuriis alij inferendis retinetur; qualem sese aduersum Dauidem Saul pertinacissimè exhibuit: Exemplaris lingua* ISHHAMATS, *id est, viro singulari singulariterq́,*

iniurio; cuius artes, vim & potentiam, atque insolentiam declinare, fallere, & euadere, diuinæ opi manifestè adscribendum sit, atque ex consequenti gratulationibus ac laudibus celebrari conueniat.

50. Propterea confitebor tibi in nationibus Domine; & nomini tuo psalmum dicam.

Diuinorum beneficiorum erga homines agnitio, gratulationem, supplicationes ac laudes iure summo vendicat: quas, à se grato animo & carmine, hoc est, psalmo apud nationes etiam alias celebrando, Vates profitetur; cuius argumentum non solùm rem veritatemq; ipsam in vniuersum & communiter tractatam contineat, sed singularis ac perpetuæ tutelæ & prouidentiæ erga Dauidem ex humili & afflicto atque oppresso sæpius liberatum, ac superiorem euadentem, denique perpetui regni & imperij honore & auctoritate adauctum. Fuerit itaque carminis illa summa:

51. Magnificans salutes regis eius, & faciens misericordiam Christo suo Dauid, & semini eius vsque in sæculum.

Carminis argumentum est gentibus tenendum atque repetendum, ideoq; tertiæ personæ adscriptum: continet autem summa breuitate, verùm perspicuo ordine, Dauidicæ historiæ seriem totam. Nemo verò in arcaniioribus mysteriis adeò rudis leuiterq; initiatus est, quin intelligat, carmen hoc IESV Christi historia. *Iesu Christi Nazareni filij Dauidis genesin, hoc est, historiam integram ab euangelij initio ad vsque ascensum in cælos, in Dauidis periculis ac rebus gestis & consequente gloria, velut in theatro quodam spectatam complecti: atque in ipso vero Dauide vncto, id est, dilecto Christo, illud certè præstitum constitisse & constare,* & semini eius vsque in sæculum, GHAD GHOLAM. *Verùm nec nostræ nunc opis nec institutionis est, eiusmodi mysterium singulariter & ad plenum tractare; quod qui iam nouerit, nostra non eget opera; qui verò ignorat, non satis vsque penetrare valebit.*

IN

IN PSALMVM XVIII.

IACOBO MONAVIO SALVTEM.

EPistolæ iam pridem abs te mihi missæ manet adhuc, quamdiu & vitæ huius vsura, manebit quoque memoria; in qua fratrem tuum virum optimum Petrum (cuius desiderio non secùs atque tu vexor) narrabas, post complures annos Græcis literis ac disciplinis feliciter impensos, tandem ad sacram lectionem in exemplaribus linguis, Hebraica siue Chananæa præcipuè, tractandam appulisse animum; tantumque in sanctæ arcanæque doctrinæ atque linguæ illius maiestate & splendore & commodis compendiis demumque mysteriis promouisse, vt sæpissime tibi confessum testeris, pœnitere valde seriùs ea iniisse studia, quæ vt maxima & ad omnem doctrinæ partem opportunissima & vtilissima, ita prima suscipi oportere, experimento ipso intellexisset; atque hoc iudicio nihil postea antiquius, nihil prius duxisse, nihil attentius & pertinacius ac suauius ad vsque extremum tempus habuisse, aut egisse. quem tametsi mihi semel per literas notum ac dilectum, tam citò ex amicitiæ consuetudine abreptum ac separatum semper doleo; tamen gaudeo animum auctori suo id temporis reddidisse, quo, in sacris illius responsis, effatis, præceptis ac promissis, testimoniis, atque doctrina omni, studiosè pariter ac piè diligenter occupatum tenebat. Namque illius bene positi ac probati laboris, humana notitia præstantiorem ac suauiorem fructum illi iam perceptum, ex diuinæ liberalitatis ac bonitatis fide persuasus, gratulor; ac tibi etiam non minùs vnicè curari, rogari, & quæri existimo, cui symbolum illud præcipuè placuisse, atque in consilijs capiendis & rebus omnibus agendis præijsse nouimus, quo diuina promissa piis omnibus verè constituta prædicantur, IPSE FACIET. Hæc de vobis studiorumque vestro-

rum delectu cogitanti mihi, Psalmi apud Latinos decimi-octaui, quod tibi inscribi placet, commodè succurrit argumentum; vtpote quod probatum irrsperem, viro mundi & naturæ verique eximiè docto, ac pietatis cumprimis cultori, diuinæque legis ac doctrinæ studioso mecum condiscipulo. Vale. Hispali ex nostro secessu, ipso Christi in cælum recepti festo die, CIↃ. IↃ. XCVII.

ARGVMENTVM.

VT hominum nationumq; omnium Deus vnicus auctor & pater est, ita summo iure à cunctis mortalibus cognoscendus & colendus, atque idem felicitatis veræ, humanæ inquam beatitatis, solus efficax credendus, idem solus adorandus: qui cùm hominum caussa visibilem & conspicuum mundi huius ornatum tanto ordine institutum condiderit, & conseruet, cuius fruendi copia corpori corporisq; sensibus, non item animis nisi ad contemplationem tantùm contingat; rationi consentaneum fuerit, alia his præstantiora & meliora bona, humanos animos, potiorem ac nobiliorem hominis partem, eiusdem Dei voluntate, sapientia ac virtute, parata ac destinata manere: hanc verò doctrinam nulli hominum recta ratione de rebus putantium aut negari aut perceptu difficilem esse; quippe quam cælum, sidera, & sol præcipuè corporum omnium lucidissimum, perpetuò doceant, repetant & inculcent. S. S. E.

Spiritus bona.

Dei notitia

Act. 14. Non sine testimonio [*Deus quondam nationibus*] semetipsum reliquit benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera implens cibo, & lætitia corda omnium gentium. *Ita vt nulla insciliæ aut ignorationis, nisi culpa sua admissæ, gentibus ac nationibus excusatio & exceptio sit reliqua, quo minùs impietatis admissæ & pertinaciter adauctæ iudicium sit subeundum: idq; adeò præcipuè ac maximè iis, quos præter communem rerum naturæ documentum, diuinæ legis promulgatæ ac descriptæ copia & facultas vltra alias nationes instruxit & amplificauit; tum verò Vatum certa & arcana responsa promouendos curauere, quæ de vera humani generis felicitate (quam lex quoque subindicabat) iam inde à principio extiterunt, atque idemtidem instaurata sunt.*

1. In finem, Psalmus Dauid.

AVctoris nomen, carminis genus, & modorum commendatio, primo hoc eduntur versu; quæ tria simul inscriptionis obtinent vicem.

In finem] LEMNATSEAHH præstanti, *siue* excellenti, *id est, vt numeris & verbis eximiis conditus, ita etiam præstantibus canendus fuerit vocibus ac modis.*

2. Cæli

2. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.

Totius hoc Psalmo traditæ doctrinæ duplex pars est; alterâ, id est priori, Dei veritas, maiestas & efficacitas, vel ex rerum ac partium cæli ac mundi ordine, serie atque vsu, nullos mortalium latere adstruuntur ac defenduntur, modò animum rectè & cordatè aduertere non pigeat: posteriori verò, præter hoc publicum & commune documentum à natura ipsa prouisum, alterum quoque maximum & efficacissimum Dei beneficium instruendorum hominum caussa datum extare; nempe legis doctrinam sinceræ veritatis refertam, & nullis erroribus, nullis obnoxiam humani ingenij opinionibus aut exceptionibus. In priori parte diuinum nomen EL *vsurpatur, cuius ad maiestatem, virtutem, efficacitatem summam, relatè rationes & explicationes lucidæ & conspicuæ sunt; vtpote ab ipsis lucis & splendoris fontibus perpetuis profectæ, editæ, atque assiduè admodum repetitæ. canuntur primo atque asseuerantur cæli doctrinæ huius enarratores perpetui, idq; duorum notissimorum delegatorum perpetuis vicissimq; assiduis operis, diei nempe atque noctis; quibus nemo est mortalium qui communi valeat sensu, quin doceri atque instrui possit, modò ad quotidiana istorum dictata velit animum aduertere. Superiorem autem mundi partem in duas regiones diuidit noster Vates, diuinæ videlicet institutionis philosophiam secutus; illæ autem sunt, ea quæ eminenter* SAMAIM *dicitur, à Latinis* cælum *vocata, atque hæc inferior ac terræ propior* RAKIAGH, *interpansio, siue* interfissura, *pro qua Latinus interpres noster plerumque* firmamentum *reddit. Nam quæ res ex superiore cælorum parte profectæ, per firmamenti siue expansionis interiecta spatia terris explicantur & eduntur, perpetuarum prælectionum merentur nomen; quibus* EFFICACIS *Numinis* KABOD, *amplitudo, maiestas, sufficientia & gloria, non confusè communiter atque generatim tantum, sed etiam sigillatim ac distinctè numerátur ac narratur. hoc significat verbum* ZZAPHAR, *referre, numerare, narrare atque etiam docere, immo & scribere, vnde* ZZOPHER *nomen scribæ tributum.* Enarrant] MEZZAPERIM, *in præsenti participio continuam incessanter significat operam. Namque vt nullum tempus est quin vel cælum terris lumen præbeat, vel vicissim vmbras & noctem inducat, ac signa sideraq; spectanda edat, ita nulla dies nullúe nox propria & sibi commissa cessat aut vacat prælectione & enarratione. atque hæc omnia, & quæ ex horum quoque ministerio profecta eduntur ad hominum sensum, vsum, atque institutionem, per firmamenti interiecti spatium vel spectanda frequentantur, vel etiam terris excipienda dimittuntur.*

Cælorum diuisio.

Cæli.

Firmamentum.

Gloria.

Et opera manuum eius.] *Non quodlibet opus confusè ac ruditer editum, sed certæ formæ, figuræ, atque destinati vsus, nomen* MAGHASEH *significat: namque opus in genere* POGHAL *dicitur, vt aurum & argen-*

Opera Dei.

UNIVERSIDAD DE MURCIA

argentum atque æs, lapis & lignum, Dei POGHAL *dicatur; hæc verò vbi in vas vel in numos vel in statuam siue signum conflata aut informata fuerint,* MAGHASEI IEDEI ADAM opera manuum hominum *vocantur. Hispanicè* MAGHASEH *appositè Pelicanus nominatur, Latinum vocabulum opus vtriusuis est vsurpationis, vt opus agricolæ, & Phidiæ vel Praxitelis opus. indicat primum res ipsa, deinde verbi proprietas, astra omnia astrorumq; constitutionem hoc loco indicari; quæ cùm certis modis formata certisq; ordinibus distincta constent,* MAGHASEH, Opus manuum EL, Efficacis, *iure laudantur. S. S. E.* Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum; lunam & stellas, quæ tu fundasti. *Iam verò huius communis ac publicæ doctrinæ assiduitas, cum certo semper in singulis prælectionibus adnotamento distincta atque exornata indicatur.*

Opus. *Psal. 8.*

3. Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat scientiam.

Nullum diem sine docendi opera præteriri, nullamq; noctem noua & singulari obseruatione vacare ait. Non quòd qui præcesserit, sequentem se dies doceat; sed quòd naturæ ista disciplina, non temporum cælis, verum hominibus parata communicatur. Namque distributionem, quam Dialectici vocant, siue inductionem per singularia, idiotissimus ille, dies diei, nox nocti, adstruit. Sic apud Isaiam, Et erit verbum domini TSAV LATSAV KAV LAKAV. Præceptum præcepto, linea lineæ. *Itaque vnusquisque dierum & vnaquæque noctium suas docendis hominibus partes præstare dicuntur, cùm nonnulla singulari cuiusque adnotatione; qualem ortus & occasus, atque consequentium ex his distantiarum atque habitudinum, & efficientiarum diuersitas, adnotandam exhibent.* Dies diei *succedens* eructat verbum] IABIAH AMAR Suggerit dictum, *id est, aliquid adiungit cognitu ac dictu dignum. rursus verò nox vnaquæque peculiare aliquid vltra præcedentem noctem addocet. Quo autem sermone, quibus verbis, cælorum ac diei noctisq; doctrina hominibus communicetur (siquidem communi aliqua doctoribus atque auditoribus lingua disciplinæ tradi solent) indicant duo subiuncti versus:*

Isai. 28.

4. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.

Cælorum & naturæ vniuersæ doctrinæ ratio.

Nullo pacto ac modo melius, commodius, & certius, immo & breuius, doctrina tradi ac monstrari potest, quàm rerum ipsarum, de quibus agitur, aperta & manifesta specie & experientia.

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Verùm enimuerò cùm rerum omnium, de quibus doctrina instituitur, copia

non

non facile doctoribus ad demonstrationem suppetat, verborum ac sermonis commoditate suppleturi. Atqui si res ipsæ rerumq; vires & efficientiæ proponerentur spectandæ, nationum linguarumq; hominibus omnium æquè cognosci atque teneri possent; & quinam cognitionis fructus esset, singulæ inter se conferrent nationes. Atqui cælorum, firmamenti, lucis, & noctis, in hunc certissimum & cunctis nationibus aptissimum opportunissimumq; modum tradi, repeti, exerceri & communicari doctrinam, Psaltes indicat: quamquam, inquit, nullæ orationes, nulla illis pronuntientur verba, immo nulla quæ humanas tangat aures, edatur vox; tamen veritas, vis, efficientia, atque experientia illorum, vltrò sese in omnibus terrarum orbis partibus ac regionibus spectandam & cognoscendam defert. Aliorum enim spectaculorum copia non nisi è domo egressis & in theatrum conuenientibus datur; harum verò, quas commemorauimus, rerum, in quacumque terrarum parte commoratis, atque adeò domi manentibus, contingit.

5. In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.

Duabus in hoc versu vocibus explicatis, planus & lucidus micat sensus. KAV, *pro quo* sonus *interpres reddidit noster*, Lineam, versum, pausam regulamq; *significat. Namque idem vocabulum à diuersis artificibus* Regula. *rectè in suam cuiusque vsurpatur artem; vt regulæ nomen, quæ architectorum instrumentum notissimum, ad artium sermocinalium atque adeò ad morum disciplinam transfertur; regulæ autem ipsius vis & ius in extrema secundum longitudinem linea consistit. atque hoc primùm adnotandum. Deinde etiam illud, Artium ac disciplinarum summa & communia* Disciplinæ olim versibus traditę. *præcepta versibus & carminibus tradere, apud priscos moris fuisse; quòd ille modus & ad memoriam, & ad animi discentis alacritatem, numeris præcipuè & arte sese commendet: ita quæ maximè disci & sciri oporteret, elegantissimis committebantur versibus. Ex quo genere illud est,* Audite cæli quæ loquor: audiat terra verba oris mei. Concrescat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina. *Vtramque autem adnotationem exigere nobis videtur vox* KAV; *cui Latina nomina* regula *&* versus *interpretando aptantur. Iam verò ex ipsa quotidiana obseruatione constat, cælos & cælestia corpora, atque dies noctesq;, etiam certis modis ac distinctis vocibus munia sua subire; idq; statis temporibus & opportunis præstare horis, quod ab auctore & magistro & principe suo sibi probent atque indicent imperatum. quale illud est,* Fiant luminaria in firmamento cæli, & diui- *Gen. 1.* dant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies & annos; vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram. & factum est ita. *Quod hoc loco legimus,* factum est ita, *id ipsum communis & generalis norma est per singulas institutiones à cælis & firmamento præsita: institu-*

tiones verò huiusmodi fuêre, Diuidant diem ac noctem, sint in signa & tempora, & dies & annos, luceant in firmamento cæli, illuminent terram. *Distinctæ istæ singulares, institutiones, translato vocabulo in hoc versu* MILEI *pluraliter vocantur. Est autem* MILAH *singulari numero quæcumque humana vox, etiam minima ac simplissima, modò significatione aliqua pronuntiando non careat; cuius ordinis apud grammaticos aduerbia, coniunctiones, interiectiones & præpositiones habentur. Ait itaque Vates, diuina dictata tum communia tum etiam singularia, à cælis, die, ac nocte perpetuò teneri, & vsu præstari, ac repetitionibus assiduis omni terrarum orbi reddi ac probari. Hunc eundem versum diuino suggerente spiritu doctor gentium Paulus vsurpauit, affirmando Iesu Christi Euangelij notitiam, per totum terrarum orbem Apostolorum ministerio & opera, testimoniis ac fama, fuisse propagatam, & quod Vates noster scripserat* KAV lineam *vel* versum, *ille maioris explicationis causa* sonum *dixit. Et quidem de doctrinâ notitiæ virtutis & auctoritatis Dei efficacis, per cælos ac firmamentum, per dierum ac noctiũ vices traditâ & monstratâ, satis hactenus assertũ videri poterat: verùm crescit & amplificatur nouo nomine rationis eiusdẽ summæ, adiuncta mẽtione magni ac præclari ministri, cui præcipuè ac maximè hoc muneris cõstat cõmissum, videlicet vt sine vlla vel minima cessatione aut intermissione, diuinæ virtutis gloriam sese exercendo & imperia peragendo denũtiet, commendet, ac prædicet. Namque dies ac noctes singulæ quamquam partes peragant proprias, semel tantum officio funguntur suo; cæli verò stellæ ac luna suas agunt, ita tamen vt vel theatri, hoc est, terræ, spatium non ad eundem semper lustrent & frequentent modum: luna enim nonnumquam occultatur ac per vnum atque alterum interdum diem sese viscndum negat. cælorum quoque pars quæ noctu spectatur, rursus aliquandiu in diei latet lumine, secumq; vnà complures abscondit stellas; atque ita donec instaurentur, desiderium sui relinquunt illis, in quibus pridem visebantur, terris. Verùm enimuerò luminare maius, cui, propter ministrationis præstantiam & singularem solertiam,* Sol cur SEMES dictus. *nomen* SEMES ἀνωνυμικῶς *inhæret, hoc præter alia vltra cæteros cælestis militiæ ministros habet proprium, quòd partes, quas præstare iussus est, palàm, perpetuò, per singulos distributas dies non expleat modò, verùm etiam sine vlla intermittendi exceptione lumine & splendore suo conspiciendas præbeat, atque orbis videndi facultate carentibus calore sentiendas & cognoscendas probet: quam prærogatiuam præter lunam, cælos, atque astra cætera, singularem habet, ac proinde longiore historiæ descriptione & expolitione, munerumq; partitione amplificatur.*

Rom. 10.

Sol.

6. In sole posuit tabernaculum suum: & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: exultauit vt gigas ad currendam viam.

Tabernaculi vsus. Tabernaculum *succedendi ac sese recipiendi & aliquamdiu in vmbra occultandi*

UNIVERSIDAD DE MURCIA

occultandi causa parari solet: differt hoc tabernaculi vsus à domo; quod illud amoueri, mutari, & aliò transferri atque erigi possit, domus fixa & stabilis maneat; atque ita hærendi breuitatem vel ipsum tabernaculi siue tentorij nomen indicat. Vnde & Apostolus, Certus quòd velox est de- 2. Pet. 1.
positio tabernaculi mei. Ab hac autem translatione Dauid, solis corporum omnium cælestium & mutarum creaturarum illustrissimi contexere inchoauit historiam: cuius breuiter summa est; illum in media ferè cælorum altitudine suam ex Dei instituto obtinere regionem, non tamen certa domo ac sede fixum agere, sed mutari in singulos dies certis interuallis & spatijs, hoc est, singulis ferè magni circuli & annui itineris gradibus, atque ab huius atque alterius hemisphærij conspectu, sese vicissim in suum recipere tabernaculum (elegantissima & poëticæ descriptionis forma, & quæ Græcorum Latinorumq; Vatum omnium variè excogitatas excellit descriptiones) demum summo diei mane apparere alacrem, promptum, atque expeditissimum; qualem huius imitator pernicissimus cursor, gloriæ cupidus ac studens & præmij obtinendi certus, ad propositum currendi sese accingit, & exhibet certamen, quod totus & integer feliciter magnoq; spectantium plausu conficit. Pulchritudinem autem, ornatum ac decorem expectati per noctem Solis ac primo mane ab ortu prodeuntis, sponsi (quem nuptiali veste nitere oportet) è thalamo suo in publicum sese exhibentis descripsit similem, alacritatem verò & agilitatem, propositiq; muneris certam ac deliberatam curam & facessendi strenuitatem, GIBOR, valentissimi & exercitatissimi ac dexterrimi cursoris expressit imagine. Namque in sacra lingua, quisquis partes suas pugnando aut contendendo præsertim strenuissimè agit, GIBOR appellatur; atque vocabulum ipsum ad omnia munia & officia accuratè, pulchrè, bene & rectè obeunda & peragenda transfertur; vt apud Latinos poëtas nomen fortis & aduerbium fortiter, Solis historia. Fortis. Fortiter.
in quibus nihil quod excipias, admittitur. Duplex autem ex sole vsus Solis vsus.
terrarum contingit orbi, lucis alter, alter verò caloris, quo infima corpora fouentur omnia; quæ quamuis nonnullis in terræ aut maris partibus remotiora videantur, tamen sideris huius continuo ac proprio petuntur ac reuisuntur motu; ita vt nullum latus mundi tam longè distet, aut auersè situm sit, quod solis annuo itinere regiones visentis omnes calore maneat intactum. Duas namque quotannis stationes à conditore Sol iussus repetit, alteram à Meridie hyemalem nobis dictam, à Septentrione verò alteram, quæ nostro æstiua est orbi. Quas dum diuersis & à medio cæli circulo æquè distantibus in dies adit spatijs, qui gradus vocantur, & luminis & efficacis caloris opportunâ & commodâ prosequitur vsurâ. Tropici.

7. A summo cælo egressio eius; & occursus eius vsque ad summum eius: neque est qui se abscondat à calore eius.

Quatuor in cælo præcipua puncta, annuo Solis itinere totidem obser- Aequinoctia. Solstitia.

uanda temporibus, auctor & conditor instituit Deus: duo quibus omni terrarum orbi diei ac noctis peragitur tempus, ac pariter æquinoctij nomine insignibus; duo altera ab illis æqualiter ad dextram læuamq; sita, quarum vtramque semel in anno tenet sol, indeq; æquinoctiorum tenet, priori in eodem circulo obiectum, & à mundi cardinibus duobus, hoc est, ab Aquilone & mari siue Austro æqualiter distans: vt hæc duo pariter æquinoctia, sic illa altera vocantur solstitia; quibus peragradis omnibus annua temporum vices, hoc est, ver, æstas, autumnus, & hyems, de quibus iam diximus, constituuntur & absoluuntur. Porrò puncta illa in cælo quatuor mundi certas ac præcipuas semperq; in seipsis fixas attingunt plagas; singula, inquam, singulas; æquinoctia duo ad Ortum & Occasum, solstitia verò ad Boream & Notum constituta. duo similia ab Ortu & Occasu fixa, ac duo altera à lateribus opposita, Cananæo vocabulo KETSOTH, fixiones, extremitates, termini, metæ & constitutiones, dicuntur. Sed præterea solstitiorum loca siue puncta duo singulari nomine THEKVPHAH vocantur, quod statum, signatum, & præfixum significat, atque ita definitum, vt vlterius

Cæli summum. progredi non detur. Aequinoctij igitur alterum punctum cæli summum interpres Latinus vocat, à quo cursus proprij sumitur initium; solstitij verò puncta duo occursum appellat, quibus peragratis rursus ad KETSOTHAM, id est, ad summum eius siue eorum summum tenditur. Superiori itaque proximo versu, Ad currendam viam, diurnus cursus, hoc autem, A summo cæli, &c. annuum solis indicatur iter: quæ inter agendum, AIN NIZZTHAR MEHHAMATHO, non est quic-

Verbi diuini virtus. quam secretum à calore eius. id quod ad diuini virtutem verbi significandam quemadmodum quatenusq; vsurpari contingat, quicumque arcanè sapiunt probè norunt. Diuinæ itaque naturæ veritatem, auctoritatem, ac prouidentiam, communibus & manifestis omni terrarum orbi cælorum atque siderum testimoniis ac documentis, iisdemq; assiduis & perpetuis, prædicari & comprobari hactenus à Vate asseueratum & decantatum; ita vt

Rom. 1. nationum omnium ac linguarum prudentes habiti homines sint inexcusabiles. Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, &

Legis diuinæ præstantia. obscuratum est insipiens cor eorum. Verùm enimverò quamquam hæc ita se habeat cognitionis ac doctrinæ ratio, longè tamen beatiorem illorum esse Vates defendit conditionem, quibus diuinorum oraculorum ac documentorum contingit disciplina; vtpote quæ non cælum & sidera, sed ipsum cæli ac siderum totiusq; mundi auctorem, conseruatorem & gubernatorem sortiti fuerint, tum veri tum etiam honesti magistrum. Namque communis illa è naturis & ingenio cæli profecta doctrina, veritatem quidem & prouidentiam indicat commendatq; Dei; hæc autem diuina Dei voluntatem & consilium erga humani salutem & felicitatem generis, eiusq; petendæ, curandæ & impetrandæ modum, humanitq; officij ac diuini cultus certam & efficacem formam tradit, vltra illa quæ cælorum opera cognosci possunt:

possunt : cùm homines aliàs ex opinione & priuata vniuscuiusque magistrorum sententia, tantùm obtinuerint vario & multiplici errorum sensu impeditam disciplinam: sola verò diuina doctrina, purè, sincerè, & vtiliter suos erudiat & ingeniet discipulos.

8. Lex Domini immaculata, conuertens animas : testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.

9. Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda : præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

10. Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi : iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.

Lex Domini immaculata] THORAH *nomen doctrinam & institutionem in genere significat, cuius auctoritatem ex adiuncto cognoscere licet. Præter, immo super omnes omnium doctrinas mortalium, diuinam doctrinam, quam Latinus interpres legem plerumque nominat, auctoritate, copia, integritate, & absoluta perfectione, atque etiam efficacitate & vsu, excellere & præstare testatur Vates. Namque in singulis atque adeò in cunctis aliis, quàm plurima quæ excipiantur, non pauciora quæ in dubium vocentur, permulta quæ requirantur, notare & animaduertere est, quotidieq; animaduertitur, non à legentibus solùm, sed ab ipsis professoribus & inuentoribus identidem sua corrigentibus ac recantantibus & recognoscentibus, atque (vt prætexitur) augentibus dogmata & scripta.* Domini *autem* THORAH *doctrinam legemq;* THEMIMAH, *integram, solidam, seriam, omniq; ex parte cunctisq; nominibus absolutam à prima editione constare ait : eandemq; veri atque honesti studiosis & auidis animis non modò satisfacere præceptis atque institutis, quibus tota abundat, sed satis etiam dare, vtpote quæ promissa etiam colentibus à Deo contineat ac declaret sui legitimi cultus præmia, & stipendia humanam felicitatem spectantia. hoc significatur illo schemate* ⌣, Conuertens animas, *id est, verè satians atque explens : vsurpatur enim schema hoc cùm ardentissima sitis dulcis aquæ potu restinguitur, aut fames opportuno leuatur cibo. Cur verò talem tantámque vim & efficaciam huic vni præter cæteras doctrinas tribuat, partitionis arte vsus deinceps eucsligio edit. Diuiditur autem doctrina illa sacra, quam communi verbo legem vocamus, in* GHEDOTH, PEKVDIM, MITSVOTH, IARAH, MISPATIM, *pro quibus Latinus noster interpres reddit*, testimonia, iustitiæ, præcepta, timor, iudicia. *de quibus aliàs plura & exactiùs, nunc breuiter ita disserimus.* Testimonia *vocamus, quæ ad historiam & promissa referuntur, fidémque ab auditore exigunt, vt mundum à Deo creatum primum, deinde hominum culpa terras fuisse diluuio obrutas, restitutum genus humanum ex Noahhi sanguine & familia, diuisas in Babylonienſi tumultu ac turba nationes, de-*

THORAH siue Lex.

Animas conuertere quid?

Legis diuisio, ac partitio.

Testimonia.

lectum ex gentibus Abramum, cui diuina promissa iam apertiùs denuntiarentur, atque ipsorum promissionum argumenta & momenta, complurá-que horum generum alia. Quæ adeò purè, clarè, & aperiè in sacra doctrina traduntur; vt cætera omnia, quæ à Philosophis de rerum principiis, de mundi vel æternitate vel creatione & natura vel repentina & vltronea generatione, & quæ ab historicis de hominum antiquitate & gentium originibus atque transmigrationibus aliisq; euentibus tradita sunt; partim vana & falsa, partim conficta, permulta secum pugnantia, quædam ex coniecturis, non pauca ex priuata re ad communem rationem translata; denique omnia ita turbata, vt cùm longum ad sui cognitionem tempus, magnum indefessumq; laborem, & attentissimum cognoscentis exigant animum, tamen in opinionem plerumque, nonnumquam in veri constituendi desperationem, demum protrudant. Cum contrà diuina testimonia singula, tot primùm stabilita & confirmata signis, portentis, & miraculis, non opinionem auditoribus, verùm ipsam veritatem, atque adeò meram sapientiam rudioribus etiam præstent & insinuent: nam hæc veritatis vis & efficientia est, vt ipsa sese vltro commendet, attendentiq; instruat mentem, & perpetuam sui recordationem inuariata conseruet imagine.

Philosophica gentium doctrina.

Testimonium Domini fidele] NEEMAN, verum, certum, incorruptum, *sibiq; perpetuò constans.* Sapientiam præstans paruulis] PETHI, rudi, indocto, *inexercitato antea & minoris etiam ingenij, non opinionem sed sapientiam affert. Secundum in hac partitione vocabulum* PEKVDIM, *pro quo interpres noster nonnumquam* mandata, *hoc loco* iustitiæ *reddit, munerum officiorumque rationes & commendationes atque institutas significat, & partes tradit; quas legatum, quas sacerdotem, quas iudicem, quas prophetam, quas è magistratu quemlibet, quas in bellum missum ducem, denique ministrorum quemlibet seruare ac peragere oporteat. eas verò in summa cõmunem ac publicam spectare & commẽdare vtilitatem, & priuati commodi curã dissuadere ac damnare manifestum est: quo quid rectius, iustius & pulchrius?* Iustitiæ *siue commendationes* Domini rectæ] *Rectum & curuum, iuris & iniuriæ, tyrannidis & regiminis, oppositam definitionem ex translatione significant. Rectitudo autem pulchritudine sua cognoscentium afficit ac delectat animos, id quod in bene constitutis reipublicæ partibus figurisq; experimur, quarum æterna, vt Socrates aiebat, permanet pulchritudo. hoc est,* lætificantes cor. *Mirabilem namque delectationem animorum reipublicæ benè constitutæ & suis ordinibus rectè distinctæ atque exercitæ facies contemplantibus affert. S. S. E.* Videns autem Regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, & cibos mensæ eius, & habitacula seruorum, & ordines ministrantium, vestesque eorum, & pincernas, & holocausta quæ offerebat in domo Domini: non habebat vltrà spiritum. dixitque ad Regem: Verus est sermo, quem audiui in terra mea super sermonibus tuis, & super sapientia tua:

Mandata, siue Iustitiæ.

Rectum & curuum.

Rectè constitutæ reipub. pulchritudo.

3. Reg. 10.

UNIVERSIDAD DE MURCIA

tua : & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probaui quòd media pars mihi nuntiata non fuerit : maior est sapientia operum tuorum, quàm rumor quem audiui. Beati viri, & beati serui tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, & posuit te super thronum Israël, eò quòd dilexerit Dominus Israël in sempiternum, & constituit te Regem, vt faceres iudicium & iustitiam. *Tertium nomen singulariter* MITSVEH, MITSVOTH *multitudinis numero, priuatum vniuscuiusque respicit officium, honestosq; singulorum siue secum agentium, siue cum aliis commorantium significat & complectitur mores. Nam cùm de priuatis hominum virtutibus atque vitiis aly aliter definierint, & vnusquisque ferè ex libidine aut vtilitate propria de istis sensuerit, atque adeò naturalis iuris ac legis nomen propriæ sententiæ studuerit dare : sola diuina lex turpe ab honesto discernens, illud vetare, hoc præcipere, summa cum veritate atque integritate potuit, & certissimis expressit ac distinxit nominibus: quorum æquitas & bonitas ex se ipsa lucens, quid deceat, quid non deceat, sententiarum atque opinionum diuersarum pulsis tenebris, manifestè commonstrat.* Præceptum. Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos] *Quidquid sua sponte clarum, purum, tersumq; apparet,* BARAH *dicitur in sacra lingua, à qua voce* Purus *Latinis in vsum venit, interpres noster* lucidum, *id est, ex seipso lucens reddidit, ac summam singulorum Dei præceptorum pulchritudinem intellexit, vtpote à diuina profectorum sapientia, atque omnis exceptionis expertium ; quorum illa etiam vis & efficacia est, vt nulla adhibita disputatione aut dissertatione veritatem bonitatemq; suam audientibus ita probet, vt iuris & æquitatis prima & communissima principia oculis ipsis, id est, mentibus aperiat. namque oculorum sensus ad cognitionem & scientiam præstantissimus habetur, à quibus translatio ad animi sumitur instructionem. Sunt igitur purissima ac lucidissima decem diuina præcepta, totidem recti atque honesti, iusti & æqui, limpidissimi fontes ; qui vel in mediis tenebris variaq; doctrina erroribus lucent, & haurientum animos illuminant. Inter cætera verò diuinæ legis purè cognitæ & curatæ effecta, religionis quidam sensus intimus studentium mentibus innascitur, in omnem vitæ & actionum partem vtilissimus, atque ad humana omnia tum commoda excipienda, tum verò incommoda perferenda & superanda apprimè opportunus ; qui sensus* IERATH IEHVEH, *apud nos* timor Domini *dicitur: quo quisquis imbutus legitimè fuerit, omnia omnino vitæ negotia purè ac liberè, hoc est, citra diuinam vel humanam offensionem subit, atque ideò aptissimum huic virtuti epitheton est* TEHORAH, *mundum, purum ac tersum, teres omni ex parte. itaque purus, teres, tersus, suiq; similis ac sibi prorsus constans timor hic, quamlibet tentatus, inuenitur. Quòd verò hoc inter cætera legis proprium in amatorum & contemplantiũ animis munus & effectum sit, vel ex illo docemur ;* Postquam sederit *rex* in solio regni sui, describet *Deut. 17.*

Purus.

Decalogi præceptorum lux & puritas.

Legis effecta.

Timor Domini.

sibi

sibi Deuteronomium legis huius, & habebit secum, legetque illud cunctis diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum. *Atqui initium sapientiæ, & disciplina sapientiæ, & corona sapientiæ est timor*
Eccles. 15. *Domini*. Qui timet Deum, faciet bona: & qui continens est iustitiæ, apprehendet illam. *Pro* TEHORAH *in vulgata versione* sanctus *legimus, quippe timor hic cultorum animis sanctitatem insinuat, non*
Sanctitas absoluta. 1. Iohan. 4. *tam absolutam & efficacem quàm* perfecta charitas *quæ* foras mittit timorem, *sed qualem quantamq; tempus illud quod sub lege peragitur, potest admittere, qualemq; antiquorum patrum complures Deo probauere. Verùm enimuerò Dei charitas, quæ in fidelium cordibus per spiritum sanctum ipsis datum diffunditur, id cumprimis præstat quod primo legis exigitur præcepto:* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis; *& ex consequenti illud quoque*, Diliges proximum tuum sicut te ipsum.
1. Cor 13. Timor Domini ad caritatem via. *Hæc enim vel Iohanne teste* perfecta charitas *dicitur*. Cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. *Itaque ad amorem siue charitatem Dei perfectam, Spiritus sancti beneficio ac munere obtinendam, timor Domini viam præparat ac munit, eo vsque tenendam quoad illuc deuentum fuerit. id quod significantissimis vocibus arcanè tamen auctor hic indicat.* Permanens in sæculum sæculi] *genuina atque exemplaris lectio est* GHOMEDETH LAGHAD, stans adusque. *Stare dixit propter firmitudinem & perseuerantiam, cuius perseuerantiæ & patientiæ finem cùm non indicauerit, cogitandum & expectandum reliquit* adusque: sæculorum finem *intelligimus. Lex igitur timorem ac religionem, Christi gratia amorem charitatemq; efficit. Hinc verò ad aliud nomen aliamq; diuinæ legis partem celebrandam carmen*
Iudicia. *pergit, hoc est*, iudiciorum, *quæ* MISPATIM *dicta, eam vitæ atque humanarum actionum partem instruunt, quibus communis inter se hominum societas colitur, & coniunctio iuuatur & conseruatur; cuius generis sunt ciuilia omnia iura, vel à singulis mutuò præstanda, vel nisi præstita fuerint, à magistratibus ac iudicibus vindicanda & corrigenda. atque huius generis præcepta, decreta, edicta, iusta omnia, quocumque ex argumento sint, æquitatis ac iustitiæ lumen secum ferre dicuntur adeò clarum, vt qui non videat, non agnoscat, & palàm fateatur, in meridie cæcutire manifestè deprehendatur. Atque hæc summa partis huius laus & significantissima prædicatio est, nempe æquitatem & iustitiam cum magno & iucundissimo vitæ vsu continentis, atque perpetuam & inoffensam inter mortales conferentis & promouentis atque tueri valentis pacem.* Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa] *siue illa per singulas examinentur formas*, iustificata in semetipsa, *nulliq; indigentia rationum vel argumentationum comprobationibus: quorum exemplum*, dentem pro dente, oculum pro oculo, liuorem pro liuore. filius non punietur pro patre, nec pro filio pater. *siue in genere existimentur, vt illa*, Quod tibi non

bi non vis, alteri ne facito, pondus iustum & mensura iusta tibi semper fuerint. *Quod elegantiam & pulchritudinem commendat, hactenus dictum, quod verò vtilitatem prædicat, sequenti explicatur versu:*

11. Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum: & dulciora super mel & fauum.

Aurum & gemmæ, vltra pulchritudinem, quam præferunt innatam & genuinam, illud etiam super argentum & æra commodi sibi prærogant, vt minore mole quàm cætera plus multo contineant æstimationis ac pretij, & commodiùs ad peregrinationem vsurpentur, atque æstimationē tueantur sui vbicumque cognoscuntur: quamobrem vehementiùs appetuntur & optantur. Quod si tantum valent in parua mole, quantùmnam cupidum & ditescere properantem maiori in massa, atque pondere afficient? Pro quo Latinè legimus & lapidem pretiosum multum, *in exemplari linguæ est* VMIPAZ RAB. *Auri triplex nomen inditum, nobilitatis adnotat & indicat discrimen. communi ac vulgatiori metalli huius materiæ, & innumorum ac monetæ cudendæ vsum comparatæ,* ZAHAB *nomen est; eidem verò vel ex venæ puritate & elegantia, vel ex fusoris arte & opera, nitentiori & probatiori redditæ,* PAZ *vocabulum tribuitur; quale apud Romanos aurum purum putū vocatur. Atque hoc nomē neutri generis, articulo ⁊ addito, seruo græcus* TOPHAZ *pronuntiauit; vnde Latinis* Topazium *seu* Topazius *dictus, nonnullis lapidis aut gemmæ nomen existimantibus, illiq; Crystallo accommodantibus, quod fuluo ac rutilo colore aurum æmulatur vel optimum. Tertium porrò nomen est* CHETHAM, *quod vulgo granum auri siue granum aureum vocatur, idq; significat aurum; quod tametsi nec igne nec vlla arte adiutum, sua sponte nitorem fuluoremq; præbet supremum, & seorsum, id est, nulli alij metallo, nulli saxo, nulli terræ aut arenæ commixtum faci reperitur. id quod rarò admodum in grandiori mole contingit, neque aliunde quàm ex* OPHIR *afferri, naturæ rationem & historiam in sacra lectione contemplatis obseruatur. quippe cuius mentioni, patriæ etiam nomen perpetuò adscribatur* CHETHEM OPHIR. *Atque, vti putamus, quidquid generis huius cuiquam contingeret pretiosissimi thesauri atque summæ elegantiæ prærogatiua, ita vt natura constabat, pro monili vel summo ornamento, nec fusum nec in aliam elaboratum vel exsculptum figuram, aut vllo mutatum pacto, seruari & custodiri, aut appensum gestari moris fuit. Ex his igitur tribus nominibus, prima duo quibus diuina lex comparata præferretur à Psalte, in hoc sunt commemorata carmine:* Desiderabilia præ auro & præ PAZ multo. *Cur autem tertium illud sublime & immutabile genus ad comparationem non fuerit allegatum, sacram & arcanam fuisse subolemus rationem; quod illa natura ad potiorem & abstrusiorem augustioremq; perfectæ sapientiæ præstantiam comparatione sui commendandam excipiatur ac reseruetur.*

Gemmarū & auri præstantia.

Auri nobilitas & nomina.

Aurum purū putum. τοπάζ. Topazium

Aurum Ophir.

Lex diuina cui auro comparata.

Euangelij præstantia.

id quod & à nobilissimo inter gentes auctore insinuatum intelligere licet.

Iob 28. *Namque vbi in veteri editione apud Iobum legimus*: Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro. *Ex exemplari ad verbum est*, non conferetur in CHETHEM OPHIR nec SOHHAM pretiosus, aut SAPPHIR. *Huic autem sapientiæ quæ solum Deum laudat & agnoscit auctorem ac donatorem vnicum luminum Patrem, scriptæ legis dignitas non comparatur; vtpote cui hominum ad perfectum adducendorum vis & facultas non fuerit concessa, illa tamen propria quædam adscribitur ac probatur; cumprimis bonorum & malorum distincta cognitio, planè atque exactè tractata ac tradita, quæ vel ipsa dictionis ope attendentium animos allicit, iuuat, ac delectat*: Dulciora super mel & fauum.

Lex seruos Dei generat. *Illud præterea diuina illa scripta lex præstat, vt obseruatorem cultoremq; sui, quem fides primum instruxerit, famulum Dei eundemq; gratum seruum nominatum præstet, atque bona spe magni demum & felicissimi augeat euentus: etenim serui Dei titulo lex ipsa Mosen ornat, atque eos omnes, qui super hæc pauca sese præbuerint fideles, cognomento decorat simili; atque conscientiæ securitate viuere*

Rom. 10. *quietos, nullius externæ vltionis metuentes, facit. S. S. E.* Iustitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea. *Vltra hoc etiam, magnum ad vitæ iucunditatem pondus ac momentum adferunt fides & ex-*

Lex pædagogus ad Christum. *pectatio salutis æternæ per Christum, ad quem lex pædagogi munere functa, sui cultores legitimos manuductos instruit ac dirigit. Nam hunc legis vnicum, verum atque certum finem diuina disciplina tradit & affirmat.*

Iohan. 5. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. *Hac breui commentatione, quid Psaltes subiuncto dicat versu, facilè indicatur.*

12. Etenim seruus tuus custodit ea; in custodiendis illis retributio multa.

In sacra linguæ exemplari carmine, præterquam quòd tota oratio sine media coniunctione connectitur, duo etiam sunt verba, quæ definitionem siue explicationem latinis non inuidendam postulant: BAHHAR, *quod deligere, diligere, atque optare & expetere significat, id est, delectu rerum iudicioso habito vnum quippiam exoptare, id quod in vnoquoque propositum cumprimis opportunum ducitur.*

Legis finis & successus. *In legis igitur cognitione, studio, & obseruatione, illud quod legis finis propriè est, Dei seruus intelligens optat potissimum, nempe vitam felicitatemq; æternam, quam sese purè colentibus à Deo per Christum impetrandam proponit ac docet. fideliter itaque ac purè cultæ legis non effectus sed successus vita æterna appellatur.*

In custodiendis illis retributio multa] *Dum, inquit, seruus tuus legi operam dat obseruandæ, illud quoque intelligens optat, sibiq; proponit, optimum demum fore illius legitimæ obseruationis euentum. Nam quod*

Latinis

Latinis dicitur successus, idem vocabulo GHEKEB *in sacra significatur lingua, vocabulo inquam à postrema humani pedis parte translato, calcaneo videlicet, quod ita alij interpres noster vsurpauit:* Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei [*successus mei*] circumdabit me. *Hactenus itaque valere, prodesse, & efficere scripta lex dicitur, vt animum veris imbuat ac instruat præceptis, & institutis vitæ ac pietatis eadem delectet ac iuuet, & ab externorum peccatorum noxa & crimine ac iudicio tueatur; præterea etiam salutis æternæ bonique euentus non dono ac munere augeat, sed spe & expectatione consoletur & recreet; quæ quidem omnia nulli alij sub cælo excogitatæ, inuentæ, traditæue doctrinæ iure adscribi tribuiue possunt. demum illa fidelem & sese fideliter ac studiosè colentem seruum Dei cognominandum decernit. Verumtamen virum perfectum, vndique integrum, intus ac foris purum, in quo nihil, quod excipiatur diuina reperiat censura, talem, inquam, neminem præstare potuit. Namque,* *Psalm. 48.* Legis vis. Legis immaculatæ potentia.

13. Delicta qui intelligit? ab occultis meis munda me:
14. & ab alienis parce seruo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: & emundabor à delicto maximo.

Legis præcepta omnia & pura & sancta, scitu cognituque dignissima, eademque iucundissima & piis omnibus suscipienda atque præstanda confessus prædicauerat, præterea eadem custodientibus cultoribusque suis magnum operæ pretium afferre asseuerauerat; vtpote quæ dum studiosè obseruantur, iuuent & afficiant; ipsisque obseruatoribus iocunditatem, aliis etiam vtilitatem, demumque optimi successus fidem & expectationem pariant. Denique id præstare dicuntur vt cultorem sui, fidelis, innocentis, & probi serui nomine & laude ornent, perfecti tamen viri ac filij heredisque Dei titulo & iure amplificare non valent, quandiu serui etiam boni appellationem retinent. Seruus *enim* non manet in domo in æternum. Sed quid dicit Scriptura? Eiice ancillam, & filium eius: non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ. *Namque homo quandiu sub lege viuit, seruitutis agitur spiritu, semperque in metu est offensionis, atque consequentis maledicti ac damnationis.* Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in Libro legis, vt faciat ea. *Et quidem peccata & scelera, quæ vel admissione vel omissione suscipiuntur, ipsa sese suamque turpitudinem produnt, atque conscientiæ indicio, & legis accusatione notantur;* Non furaberis, Non mœchaberis, Non occides; *atque alia omnia, quæcumque vocantur vetita: præter vnum illud,* Non concupisces; *cui quamquam materia adnotata fuit, circa quam concupiscentia versatur,* vxorem, domum, agrum, ancillam, bouem, asinum proximi tui: *tamen adeò latè patet concupiscentiæ campus, vt humanæ prudentiæ aciei pertingi* *Iohan. 8.* *Gal. 4.* *Gal. 3.* Concupiscentiæ vetitum.

pertingi oculisq́ lustrari non possit, quin multis adeò angulis, & interdum altioribus, nonnumquam depressioribus & salebrosis locis, & variis fallat partibus; id quod ad materiam ipsam appetitionis attinet. Quod verò ad appetitionem siue appetitum ipsum facit, bone Deus, quàm varia & multiplici, quàm perplexa existimatione humanus versatur animus, quem variis quoque formis & multiplici habitu appetitus adoriri soleat cupidinis, inuidentiæ, iræ, ambitionis, ementitæ honestatis, superstitionis, adumbratæ sanctitudinis, simultatis, simulationis ac dissimulationis, amoris, amicitiæ, contentionis, inimicitiæ, studij, gratiæ, falsæ misericordiæ; & innumeris aliis nominibus; quibus in angelum lucis transfiguratus iste Satan appetitus improbitatem ac deformitatem velare atque insinuare nouit. Iam verò vt ad tria præcepta sermonem vertamus; quotusquisque sub legis iugo illud planè, plenè abundeq́ præstare & creditori Deo reddere poterit; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex omnibus viribus tuis? *Quis illud purè, sincerè & planè, piè integreq́, in spiritu & veritate seruare*; Memento vt diem Sabbathi sanctifices? *Quis illud porrò dignè prorsus exacteq́ persoluit*; Honora patrem tuum & matrem tuam? *Nemo profectò adeò prudens, adeò circumspectus, adeò fortis, diligens, ac sui ipsius contemptor, & negligens homo fuit, qui totus & integer, quam legi quondam cognoscendæ mentem, quamq́ obseruandæ dare deberet operam, sine vlla integritatis animi exceptione Dei seuero probaret iudicio; quin potius sese multis in partibus vel animi impetu errasse, vel concupiscentiæ vi impulsum offendisse fateretur. Ista igitur, quæ minuta aut leuia, aut scrupulosa nimium, aut aliàs ex consuetudinis praua vsu minus animaduersa, tamen quòd à diuini iudicij puritate & seueritate improbentur ac damnentur, quodq́ impedimento sint quo minus filij Dei homines dici verè possint, horrens atque metuens Dauid, nec sibi planè adamussim æstimata aut prouisa constare cuncta, nec, si maximè constarent, posse tamen vel præcaueri ne admitterentur, vel admissa prorsus expiari ac tolli; cùm id efficere, solius Dei per Christum in lege & prophetis promissum virtutis & efficientiæ sit.*

Iohan. 8. *S.S.E.* Qui facit peccatum, seruus est peccati: seruus autem non manet in domo in æternum. Si ergo vos filius liberauerit, vere liberi eritis. *Talem igitur libertatẽ, vt multis aliis in locis & carminibus, interdũ arcano, interdũ etiã simplici & aperto sermone, hoc ipso in carmine velut totius instituti operis caussam sibi exoptatam & expetitam posuit Vates; id verò quemadmodum fieri contingereq́ posse intelligat, in ipsa indicat petitione. Trium autem verborum propriam atque huic argumento aptam significationem aperire expedierit; namque illis totius rei ac sententiæ ratio ac summa continetur;* Delicta, occulta, aliena, *vt nostra vulgata editio habet. Corpus quod appellatur peccati, triceps quidem bellua est, cum qua humanus animus dum legis iugo addictus est, identidem conflictatur. vnum autem caput concupiscentia carnis, vnum etiam oculorum concupiscentia, tertium*

Appetitus pugna & artes.

Nemo facit legem ex illis qui sub lege.

Delicta.

Corpus peccati triceps. 1. Iohan. 2.

tertium superbia vitæ dicitur. Duo illa, primum & secundum, compluribus horrent crinibus, iisdémq; spinosis ac pestiferis, quales à poëtis furiarum colubri non sine magna veri significatione conficti sunt. Tertium verò caput suas etiam crines habet, sed spendidiores quàm duo illa, vtpote quæ nobilitatis, nitoris atque decoris laudabilia nomina sumunt & vsurpant. quamquam reuera nihil melius quàm tyrannis, vis, insolentia, temeritas, audacia, impietas, crudelitas, arrogantia, & huiusmodi aliæ humanæ vitæ & consuetudinis venenatæ pestes, vocari & indigetari debeãt. In cõcupiscentiarum autem capitibus & cristis non pauca insunt vitia, quæ, vel quia non pernde vt alia eminent, vel quia non æquè noxia deprehenduntur, vel subitò ac repentè exoriuntur & pullulant, minùs vel exteriùs animaduerti possunt, vel animo ipsi, cui officiunt, sentiuntur minùs: ea verò vel ex incuria vel ex repentino motu & affectu oriuntur: atque omnia hæc legitimo vocabulo SEGIOTH dictitantur; quorum expiandorum arcana ratio compluribus in legis doctrina traditur ac significatur sacris cæremoniis ac ritibus, ijsdémque assiduè & crebriùs repetendis, numquam tamen prorsus expiatum ac perfectum sacrificantis animum præstare ac sistere & seruare valentibus, propter Adamidicæ carnis infirmitatem & maledictionem, spinas atque tribulos identidem germinantis. Hæc verò & propter multitudinem & propter inæqualem densitatem non solùm non prorsus euelli atque auferri, sed nec planè prorsus præcaueri ac prouideri posse Dauid ait: SEGIOTH, Delicta, siue errores malos, quis intelliget? IABIN, cognitionem prudentia & prouidentia instructam significat, ex verbi etymologia. Sapienti corde vocabulum erit NABON, id est, prudens, cordatus & circumspectus, ait Salomon. Quis igitur errores ac delicta sic intelliget, quin quàm plurimis occultis & cæcis cogitationum vitiis fallatur & à recto deuiet? id cùm lex efficere non valeat, vnum reliquum est ad misericordiam, virtutem, & efficacitatem Dei perfugium, vnica prouocatio. Ab occultis meis munda me] Non poscit singillatim expiari, non repetita culparum venia foueri ac leuari vel recreari, sed omnino purgari ac liberari, simili voti sensu ac significatione cum illo; Asperges me hyssopo, & mundabor; lauabis me, & super niuem dealbabor. Namque humanum cor ita reformari & habere, solius Dei misericordiæ atque Christi Dei efficientiæ est. atque ita duobus peccati capitibus penitus resciss, ac sublatis liberari se poscit. Tertio verò (quod non ita occultè nocet, sed honesta aut laudabili aliàs fallit specie, nec tam interius imprudentibus extat, quàm vel exterius eminet, vel obrepit ac sese primum insinuat, mox dominatur, vel vltro adsciscitur non solùm liberari, sed prorsus auerti, occultari, ac protegi sese postulat; ne videlicet semel admissum dominetur & imperet animo. Atqui caput hoc vnà cum omnibus ambitionis vitijs ZADIM Vates vocat, interpres noster ex affinis valde vocis ZARIM sono ac literatura Alienis reddit. Namque concupiscentiæ vitia & errores in ipso enascuntur corrupto animo, ambitionis

Furiarum apud poëtas significatio. Ambitio. Ignorantiæ. Prou 16. Psal. 50. Superbia & ambitio.

bitionis verò & superbiæ malum ex allata aliunde opinione admittitur. id
Hominis lapsus. *quod ex primo humanæ ruinæ atque labis exemplo dignosci in promptu est;*
Gen. 3. *in quo opinio*, Eritis sicut Dij, *ex monentis ac tentantis doctrina ac persuasione irrepsit, concupiscentiæ verò depravatio intra proprium ebulliuit sensum, atque ita mentem imbuit humanam.* Vidit mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit; deditque viro suo, qui comedit: & aperti sunt oculi amborum. *Igitur carnis & oculorum concupiscentiam, quæ intra proprium vniuscuiusque sensum latitantes repente erumpere atque in varios affectus diffundi, vitæq; actiones inquinare so-*
Occulta. *lent*, occulta *Vates appellat, eamq; funditus exhauriri, siccari, abstergiq; poscit. Superbiæ verò vitæ, id est, arrogantiæ, ambitionis, atque dominationis & honorum libidini subduci sese cupit atque optat; vt is qui in obscuro latet, eorum diligentiam & insidias fallit, à quibus palàm in media quæritur via. vtitur autem elegante rerum ac verborum antitheſi: occultis enim opponit* NEKANI munda, expurga & absterge me. *Ita vt nihil in me interiùs possit perleue morari; nihil etiam obscurum, sordidum, aut asperum vel ambiguum retineam: ab externis verò, id est, ab insolentia, superbia, arrogantia, ambitione, cæterisq; terrenæ & falsæ gloriæ comitibus & satellitibus me obscurum & imperuium pone, vt numquam prorsus offendar. huiusmodi subtractionem & exceptionem Latini Vates*
Fallere. *verbo* fallere *significant, vt*

Nec vixit malè, qui natus morienſque fefellit.

Illustris. *Vt autem Latini, quos genere aut muneribus nobiles indicare volunt, illustres vel claros dictitant; sic rursus ignobilibus ortos maioribus, nec domi*
Obscurus. *vel militiæ magistratibus functos homines, obscuros vocare consueuere. Talem se superbis & arrogantibus opinionibus præberi ac præstari vouet Vates: atque ita à peccati corpore liberatum coram Deo sisti optat, legis iam deinceps maledicto & exactione immunem futurum; atque ita diuinæ virtutis ope integrum & perfectum, vt non solùm factis, verùm dictis etiam & cogitatis, se Deo gratum probatumq; euasurum gestiat, atque in tanti beneficij spem totius huius carminis rationem & causſam à se institutam declaret;* Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus
Patrum veterum votum. ero: & emundabor à delicto maximo. *Piis illis omnibus, quos diuinis elogijs probatos ante Iesu Christi aduentum vixisse nouimus, hæc vna ac præcipua votorum summa fuit; sese diuina virtute à veteris Adami impuritate & circumstante se peccato liberatos, in nouam creaturam experiri mutatos. id verò quemadmodum fieri posset, non exactè intelligebatur, faciendum tamen aliquando fore credebatur & expectabatur, vtpote promissum; quare & præstandum. Huius autem argumenti, fidei atque*
Psal. 118. *spei & illud est*, Viam iniquitatis amoue à me, & de lege tua miserere mei. Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.
Psal. 50. *Et complura huius generis per enthusiasmon præcantata*; Auditui meo dabis

bis gaudium & lætitiam, *(per euangelium videlicet)* & exultabunt ossa humiliata. Tunc immaculatus ero] AZ AITHAM, perficiar, & consummabor. *Namque huiusmodi absolutam sibi ex Dei beneficio præstolatur puritatem*, à delicto maximo] PESAGH *diuersum nomen à* SEGIAOTH, *pro quo similiter interpres noster* delicta *reddiderat. Est autem* PESAG maximum, *prauitas illa, quam mortis corpus Paulus nominat*, Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius? Corpus peccati. Rom. 7.

15. Et erunt vt complaceant eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Domine adiutor meus, & redemptor meus.

Totius Psalmi clausula ac peroratio hoc expeditur versu; quo Vates dicta cogitataq; sua Deo probari exoptat & vouet, cùm vtraque ex animi integritate & incenso studio profecta significat; neque quicquam toto in carmine dictum, quod à mentis discrepet motu ac sensu, qui præcipuè à Deo examinatur. Dicta autem omnia tribus nominibus ex fide pronuntiatis in vnam coguntur summam: quorum primum, breuis fuit commemoratio auctoritatis & magnificentiæ Dei communis omnibus populis & nationibus ad cognoscendum, videlicet erga creationem primùm, deinde erga gubernationem perpetuam cæli ac mundi; Secundum verò, beneficij amplioris & augustioris orbi dati in diuinæ legis promulgatione; tertium autem & planè diuinum, liberationis ac salutis animorum publicè per Christum præstandæ, cum optionis atque expetitionis propriæ sensu: quem etiam gratum, probatum, ac ratum, felicem faustumq; demum sibi poscit, duobus interpositis & appellatis cognomentis; altero, quo sui ipsius, altero, quo Dei virtutis & efficacitatis significantur partes. Dei in homines beneficia. & erunt vt complaceant] *optatiua & votiua oratio est, quæ in sacra lingua futuro verbo exprimitur* IIHIV LIRIZON, erunt ad voluntatem. *vt illud,* Iucundum sit ei eloquium meum. Psal. 103. Eloquia oris mei] IMREI PI; *certa atque grauis argumenti seria dicta & pronuntiata sic vocantur: ea verò cum præcepto animi cogitato & studio conuenire ait.* HIGAION; *certa ratione & conuenienti modo ac sensu concepta cogitatio sic dicitur. atque hoc quidem nomen differendi ars, quæ Græcis διαλεκτικὴ, vsurpauit. Solenne verò est poscentibus ea vel nomina vel cognomina appellare, quæ eius rei, de qua agitur, & honestatem petenti, & facultatem auctoritatemq; ei tribuant à quo petitur. Sic illud,* Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua libera me. Psal. 53. *quo in versu nomen idem quod efficacitatem significat, deinde poscentis adiunguntur partes:* Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me, & fortes quæsierunt animam meam. *Ita hoc loco nomen* adiutor meus *à poscente est,* TSVRI, *petra siue asylum siue perfugium meum: alterum verò* redemptor meus, *ab exorati*

exorati virtute & auctoritate citatur. sic & apud Latinum poëtam:

Ad te confugio, & supplex tua numina posco.

Atque ita duplici iure, voti se compotem fieri posciit, altero quòd ipse solum Dei optauerit præsidium, altero quòd suis periculis ac temporibus cunctis vnicum liberatorem fuerit expertus Deum, magno & in omnem vitæ partem vtilissimo piis exemplo.

IN PSALMVM XIX.

PHILIPPO II. HISPANIÆ REGI, ET PHILIPPO III. SECVNDI FILIO SALVTEM.

Bellorum gerendorum ratio.

BEllorum à Christianis gerendorum consilia sola causſæ honestas, causſam ipsam publica pax probat; gerendi modum disciplina ex Dei legibus & institutis exercita indicat; facultatem non tam humanæ opes, quàm diuina virtus & prouidentia sufficit; victoriam demum victoriæque exitum & laudem, nulli præterquam Domino Deo exercituum tribui oportet. quidquid præter hanc rationem consultum, cœptum, actumque fuerit, vltra sumptus immensos, incerta euenta, nullam vel exiguam, breuem & citò mutandam victoriam, vel etiam extremam cladem, & eorum, à quibus tentatum fuerat, æternam ignominiam creasſe spectatum, compertum, exploratumque semper fuit. Huius autem rei totius vtile vobis, vt maximis terræ orbis Principibus, exemplum in Dauide bonorum Regum primo atque in pacis belliique consiliis felicissimo propositum constat, cunctisque constare potest Christianis Principibus: cuius vel vnius acta gestaq; omnia si adamussim cognita obseruaraq; tenueritis, breuissimo lectionis compendio, Barbarorum, Græcorũ, & Romanorũ historias, quæ ad pompam magis quàm ad vtilitatem citari, iactari & proponi solent, & peritia vestræ fidei conueniente, & gerendorũ felicitate superaueritis.

Rerũ Dauidis historiæ vtilitas.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Dauidi Regi, in belli laboribus, curis, ac periculis exercitatißimo, ad expeditionem profecturo qualia populi fauentis vota & quemadmodum ſuſcepta, pronuntiata, atque cantando celebrata fuerint, hoc in Pſalmo exponuntur. in quo bonorum & piorum principum propoſita, conſilia, & conatus (namque vltra hæc nihil mortalibus integrum eſt præſtare) diuinæ virtutis vnica atque ſola ope indigere declarantur: qua implorata & obtenta, certißimos felicißimoſq́ exitus expectari conſequens fuerit, victoriæ videlicet de hoſtibus reportandæ pacisq́ publicæ apud ſuos firmandæ, & cæterorum quæ ex bene compoſita pace oriuntur & fouentur, facultatem & copiam. atque hæc omnia vt auctori Deo acceptа referenda, ita dicatis laudibus perpetuò fuerint celebranda. Humana facultas.

1. In finem, Pſalmus Dauid.

Primus verſus auctorem & cauſſam Pſalmi, atque etiam modorum, & concentus rationem, Inſcriptionis nomine continet; docetq́ à Dauide conditum opus, idq́ Dauidis eiuſdem bella & prælia meditantis atque adeuntis cauſſa dictatum ac decantatum, non vulgari ſed ſublimiori carminis ac modorum forma, LEMNAZZEAH, *ad præſtantem. de quo iam ſæpe aliàs.*

2. Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob.

Futurum verbum in votorum nuncupatione vſurpatur propter fidei certitudinem, quod Latinus interpres plerumque imperatiuo mutat. exaudiat, IAGHANECHA, exaudiet te. *Nam* GHANAH *efficaciter audiendo reſpondere ſignificat, id quod Latinis exaudire eſt, audire idē ſentiendo & annuēdo. Iam verò auditio duas indicat perſonas, alteram vocātis, alterā verò eius qui inuocatur: priorem in hoc verſu pronomen* Te *commonſtrat, hoc eſt, regem quidem, hominē tamen mortalem, atque ad ſubeunda pericula diuini egentem auxilij tutelq́; poſteriorem ſanctißimum nomen* IEHVEH, *id eſt,* miſericordis & efficacis Dei, *indicat; vtraque verò pars ex antiquæ diſciplinæ arte & vſu petitur. Ex quo enim Abrahami ſoboles creſcere & in gentem eſſe cœpit, res rationesq́ ſuas vni Deo dicare, committere, & commendare conſueuit; illuſtri præcipuè Iacobi exemplo, qui patriam quondam deſerens fratremq́ fugiens, in hunc modum vouiſſe narratur:* Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcēdum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero proſperè ad domum patris mei; erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte quem erexi in titulum, vocabitur Exaudire. Iſraëlitica fidei exemplum. Gen. 28.

cabitur domus Dei; cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. *Atque votum illud quàm vario ac multiplici periculo per omnia Iacobi tempora certum ratumq; constiterit, tota narratio historia Apparet autem & lucet manifestè diuina erga pios prouidentia ad tutela, cùm temporibus duris ac difficillimis appellata succurrit; id quod ab hoc ipso Vate aliàs affirmatur*: A diutor, *inquit*, in opportunitatibus, in tribulatione. In die tribulationis] TSARAH, angustiæ. *Diei nomen non solùm tempus hoc loco, sed rei etiam significat manifestationem, quam nemo homo possit inficias ire propter periculi magnitudinem diuina ope superatam; idq; in ipso supremæ difficultatis articulo, quando repente solutus nodus Deum vindicem planè prædicat atque probat.* Protegat te] Protegere, *idem quod munire, tutari, atque propugnare est, à verbo* SAGAB. Nomen Dei Iacob] *virtus & efficacitas, quam Iacob angustiis in rebus tentationibusq; cunctis expertum sese palàm præstatus est:* Deus qui pascit me ab adolescentia mea *(cùm Iacob tantummodo vocarer)* vsque in præsentem diem *(quo Israël appellor)* Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.

Dei auxilium in aduersis. *Psal. 9.*

Dies.

Gen. 46.

3. Mittat tibi auxilium de sancto: & de Sion tueatur te.

Insuperabilem atque efficacissimam nec vulgaris aut communis exempli opitulationem, ex loci ac situs delectu vouentium petitio amplificat. Namque singularis prouidentiæ declarandæ caussa, duo præcipuè in toto terrarum orbe finitima & conuicina loca sibi delecta Deus responderat, dum figurarum & imaginum status ille durabat, promissamq; portendebat publicam & communem toti orbi olim præstandam salutem. Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. *In Moria autem monte sanctum fanum cum magna etiam cælestium significatione ad tempus dicatum sibi probauit: ex quibus & pro quibus duobus locis & nominibus magna & frequentia edidit miracula; quæ vt in Dauidis etiam liberationem & salutem ederentur, hoc in Psalmo cantores poscebant. Hoc etiam hodieq; sancta pascit Ecclesia, dum alterum sanctuarium alterumq; Siona non huius creationis animo cogitat & intendit. de quibus nunc nobis non sermo sed indicatio incidit.* Dominus *igitur* de templo sancto suo, Dominus in Sion magnus, *auxilium regi efficacissimum rogatur sufficere. Templum illud ideo sanctum dicitur, quod non solùm à profanis vsibus, verùm etiam à communibus operum & sacrorum exemplis longissimè sepositum crederetur, immò & quàm plurimis declararetur signis & miraculis. Sion verò regia arx & situs natura & operibus firmissima inexpugnabilisq; ducebatur. vtroque itaque nomine & raræ ac sanctæ & firmissimæ tutelæ auxilium & fulcimen breui hoc poscitur versu. Commodè autem hoc in loco ad rei atque sensus explicationem imaginem placet adnotare præpositionem* DE, *vocula* MIN *respondentem, auctoritati pariter & caussæ significi-*

Sion & templum, loca Deo delecta. *Psal. 131.*

Ecclesiæ vota.

Templi sanctitas.

DE præpositio.

UNIVERSIDAD DE MURCIA

gnificandæ inseruire, & rectè simul veri posse in Latinas voces EX *&* ergo. *vt apud Amosum,* Dominus de Sion rugiet,& de Ierusalem dabit vocem suam. *ex Sion atque ex Ierusalem vtriusque caussa rugiet. sic etiam Dominus promissorum auctor & efficax* mittat tibi auxilium ex sancto, *atque conseruandæ sanctitudinis suæ caussa, item etiam* ex Sion, *regiæ domus firmandæ & constabiliendæ consilio,* tueatur te] IIZZAGHADCHA, firmet & fulciat te. *Hæc totius in vniuersum precationis ac voti summa, longiore nominum ac rerum describenda serie expolitur & explicatur.* Amos 1.

4. Memor sit omnis sacrificij tui : & holocaustum tuum pingue fiat.

Acta omnia publica, atque in his bellorum initia, sacris muneribus & hostiis cædendis auspicari moris quondam fuit: quibus qui intererat populus, animus & linguis fauere iubetur & solet. Sacrorum quædam leuiora, quædam operosiora dicuntur: leuiora minorisq; sumptus MINHHOTH, *id est,* munera *dictitantur: quæ maiore sumptu parabantur* Hostiæ, *in quibus præcipuam prærogatiuam* GHOLOTH *vendicant, græco nomine* holocausta *vocata. Hæc autem cùm aliàs multis de caussis, tum in votorum nuncupatione vsurpabantur; quæ cùm sanctis altaris focis prorsus absumebantur, litare, fausta feliciaq; esse, & optatis euentis probatum iri credebantur. Igitur gerendarum rerum initia & cœpta primùm, deindè verò progressus cunctos, ac demum exitus ex animi sententia necti, coniungi, ac succedere suo regi chorus poscit ac vouet.* Memor sit] *idem quod aduertat & attendat.* pingue fiat] *ita reddit Latina editio nostra pro* IIDASENAH, *ex verbo, cineretur, in cineres redigatur, id quod in pinguissimis carnibus igni sacratis efficitur. rectè itaque antecedens pro consequenti Latinus interpres posuit; iuxta illud:* Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius : ad Cain verò, & ad munera illius non respexit. *Quippe alterius muneribus vt puris & pingui igni prorsus absumptis, alterius vt impura & vitiosa minimè absumebantur. Vulgatum huius rei exemplum in libris legimus Regum, Elia etiam extra legitimum locum, quòd sic res exigeret, faciente. Hunc autem versum vox* ZZELAH *claudit, quæ fauentium propriè atque gratulantium animi affectum prodit & significat & in bonis numeratur verbis. Votorum verò suorum argumenta & materiam ad consilia, cogitata, & propositum regis ipsius, populus refert: nec enim gerendarum rerum rationes, modos, & promotiones, publicè in votis eiulgari aut proclamari conuenit: cùm præsertim disciplinæ & artis bellicæ maxima & potissima pars in arcanis principum consilijs ponatur: quæsi quoquo modo suboleat hostis, immane quantum ad propugnandum nanciscatur præsidij atque opum. Cogitationem itaque & consultationem in gerendis rebus oportet esse arcanam, quam populo* Sacrificiū ante belli initium. Munera. Hostiæ. Holocausta. Litatio in sacrificiis. Gen. 4. Regum arcana.

tantummodo votis & precationibus fauenti sanctam & inaccessam expedit manere.

5. Tribuat tibi secundùm cor tuum: & omne consilium tuum confirmet.

Cor princeps in corpore pars Propositū. Consiliū.

Cor *in humano corpore principatum ac regnum obtinet, idémque omnibus animi motibus & actionibus excitandis cogitationum suggerit materiam. Actionum prima pars propositum dicitur, quod causſam cum primis respicit, id est, finem quamobrem quicquam suscipiendum fuerit. deinde verò consilia variij, generis curæ ineuntur ac deliberando pensantur, quemadmodum, per quos quatenus, & quandiu res inchoanda & vrgenda ac promouenda, quæ omnia nisi diuina iuuentur & fulciantur atque expediantur ope, vana, irrita, & inutilia euadunt.* Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. *Agendorum itaque propositum* cor, *decretam autem & certam agendi rationem* consilia *hoc in versu vocantur. quorum felicem ex Deo progressum & successum illo verbo* IIMALE *fauentes poscunt. significat autem* IIMALE *idem quod apud Latinos* compleat, *complendo autem* confirmari *consequens est, vt noster scribit interpres, Latini Vates* in bonos exitus ducere *circumloquuntur. Atqui honesti legitimiq; susceptiq; & rectè nuncupati voti constantiam, boni euentus firmare solet spes; à qua* ἐνθουσιασμὸς *plerumque oritur, qui vaticinij vicem præstans, euentorum atque posteuentorum repræsentat imagines, id est, lætitiam publicam, gratulationes atque ad sacram Dei aram supplicationes decernendas. Hanc autem partem subiuncti nobis præstant versus.*

6. Lætabimur in salutari tuo, & in nomine Dei nostri magnificabimur. Impleat Dominus omnes petitiones tuas.

Regum in bellis mens.

Omnes istæ periodi vnico versu in primæuis exemplaribus clauduntur. continent autem certam lætitiæ publicæ atque gratulationis communis celebritatem, post diuina in regem beneficia sacrandam & peragendam; cui sese iam fautores obligatos declarare iuuat. Elocutioni poeticæ ὕστερον πρότερον figura eleganter sæpe, vt hic etiam, seruit. Decet autem Regem nihil sibi arrogare egregiæ virtutis, nihil ex propria promittere ope, nihil denique magnum vel augustum aut faustum præsumere; sed incepta & agenda cuncta in Dei auctoritatem, numen & bonitatem, reijcere, atque huiusmodi pietati & sinceritati annuere, assentiri, ac fauere. ita Deus consueuit, vt singularem prouidentiam ex voti atque petitionum successu probet, nulla prorsus ex parte irrito, nulla exceptione imminuto. Impleat Dominus] *futurum verbum in exemplari, futuri quoque significationem ac vim in latina versione tuetur modo coniunctiuo siue optatiuo tributum.*

tributum. *Cùm* impleat Dominus omnes petitiones tuas, lætabimur, NERANEN. *Latitiæ publicæ strepitum significat immò & repræsentat hoc verbum*. In salutari tuo] *in salute, incolumitate, felicitate, sospitate tua. Cum ex animi sententia per omnia promotus voti compos euaseris*, & in nomine Dei nostri NEDAGEL; *pro quo Latinè redditum* magnificabimur *affinitatem non obscuram vendicat cum verbo* NEGADEL, *id est*, magnificabimur: *quod si per sermonem liceret, illud* NEDAGEL *in* vexillabimur *verteretur. Solent autem, qui ouationum vel victoriarum ac triumphorum pompas celebrant, vexilla & signa certis in spatiis distributa circumgestare, interdumq; extollere ac vibrare; atque hoc pacto vocibus, nutibus, & signis hilaritatem fouere & augere. In vexillis autem victoris visuntur vel imagines vel alia insignia, vel certè nomina aut cognomina, aut etiam emblemata cum hieroglyphicis familiaria. quale illud Hasmonæorum* MACHABI *habuisse dicitur. Atqui in gratulationum supplicationumq; suarum pompis & choris atque choreis, vnicum nomen* IEHVEH *vsurpatum iri fautores profitentur nostri. Gratulationis autem, carminis, ac supplicationis argumentum breue commodè subiungitur; quo confessio, id est, laudes Dei sospitalis in summa continentur, cum comparatione & agnito exc. ssu virtutis, efficacitatis, ac singularis tutelæ & curæ, vltra omnes humanas opes, facultates, & artes. Erit itaque vna atque eadem laudantium sententia, vnaq; cunctorum vox illa:* In triumphis mos. Vexillorū insignia. Machabæorum vexillum.

7. Nunc cognoui quoniam saluum fecit Dominus Christum suum. Exaudiet illum de cælo sancto suo: in potestatibus salus dexteræ eius.

Salutis & sospitalitatis magnitudo, quæ ex periculorum ac difficultatum immanitate declaratur, ad vouentium sententiam & expectationem succedens, efficientiæ auctoritatem, gloriam atque decus nulli alij quàm diuinæ virtuti arrogare debet aut potest; cui soli propterea summæ tribuendæ atque dedicandæ iure decernuntur laudes, soli gratulationes, soli etiam piæ ac votiuæ in posterum publicæ rei ac regni & regis commendationes denuò instituuntur. Nunc spectaculo tanto & experimento apertè agnouimus, vncti regis propugnationem, tutelam, & salutem, diuinæ solius curæ & admirabilis virtutis & efficacitatis fuisse opus: neque enim humanis opibus (quæ hostilibus comparatæ breues, exiguæ) nec terrestris loci situ (qualem optare & occupare callidi solent bellatores) verùm diuinæ & salutiferæ dexteræ atque ex alto cælo propugnantis virtute, huiusmodi rara & admiranda victoria nostro duci eidemq; diuina vnctione sacrato contigit, quem exaudiet, IAGHANEHV; *futurum pro præterito vt sæpe alias*; exaudire solet & exaudiuit *efficaciter* de cælo sancto suo, MISEMEI KODSO, de cælis sanctitatis suæ, *de summis & altissimis* De cælo.

cælis, quò nulla humana mens cogitando nedum virtus valet oppugnando pertingere. eorum quæ in terris fiunt efficacitatem, cæli virtutibus natura tribuit; cælorum autem virtutes ex suprema Dei arce ac regia deriuantur: quæ verò ex ipso sanctissimo demittuntur cælo, singulariter, cum communia superent exempla, ad miraculi definitionem reuocantur; & singularem prouidentiam & curam testantur & comprobant. Atque hæc argumentationis prima propositio est, quæ assumpto ex remotione petito adstruitur, in hunc modum: Vbi magno rerum & opum apparatu, multo hominum consilio, & ingente conatu nil efficitur aut promouetur; contrà verò exiguis humanarum virium copijs, votis autem & precibus atque diuinæ opis & fidei implorationibus res conficitur; victoriæ efficientia vni diuinæ virtuti manifesto tribuitur iure. Atqui hoc nobis pacto res omnis contigit, quando quidem ex innumerabili copia hostium, in curruum & equorum suorum multitudine sperantium, nos inuocato Dei nostri nomine victoriam reportauimus.

8. Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.

Hi in curribus, & hi in equis] *Victoriam sibi promittentes præsumebant & moliebantur. Solent qui res gestas describendas suscipiunt, ac præcipuè poëtæ qui carminibus celebratas ad posteritatem transmittere student, regum atque imperatorum potentiam ex apparatus magnitudine ac sumptu exaggerare, atque ex eare, cum consiliorum etiam & stratagematum commemoratione, victoriæ euentum augurari. apparatus autem præcipua vis in curribus & equitibus poni solet: vt ille aiebat,*

Magnæ mentis opus, nec de lodice paranda
Attonitæ, currus & equos faciesque Deorum
Adspicere. *hæc enim potissima habetur in bellicis pars. Iactent autem quantum nouerint magnificè suorum exercituum robora, gentium atque imperatorum adulatores poëtæ; exaggerent & amplificent historiarum scriptores; supplicatores nostri aiunt: Nos vnum Dei nomen cantantes præferemus, vnicum citabimus, vnum repetemus, idem nobis carminum principium, idem medium, idem postremum susurpabitur & sonabit; id autem agentes ex antiquo vsu nostrorum faciemus more:* Inuocabimus, *canentes & laudantes,* NAZCHIR, commemorabimus; *idque vtriusque celebritatis exitu referendo differendoque prosequemur, nempe illo:*

9. Ipsi obligati sunt, & ceciderunt: nos autem surreximus, & erecti sumus.

Magnæ terrenæ molis ingentem oportet esse ruinam. equi caro sunt &
Isai. 31. *non spiritus, duces & milites homines & non Deus, ipse autem & spiritus & fortis efficacissimusque est. Persimilis argumenti hæc atque illud carmen est:*

est: Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare, & reduxit super eos Dominus aquas maris. Filij autem Israël ambulauerunt per siccum in medio eius. *Exod.15.*

Atque hactenus totius Psalmi partes ex ordine atque artis veræ legibus absolutæ, proposito ad principium voto tanquam epilogo clauduntur, cùm regis ad præsentem expeditionem profecturi commendatione, & perennis erga populum curæ & prouidentiæ votiua prece.

10. Domine saluum fac regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus te.

In exemplari lingua votum cum spe atque fiducia susceptum indicat ac docet futuri temporis posterius verbum. quæ si carmine latino à nobis reddantur, in huiusmodi tendent sententiam:

Sospitem præsta incolumemque regem
Semper ô Ias. bona spes benigne
Nos Deum post hac fouet auditurum
Vota cientes.

IN PSALMVM XX.

PHILIPPO II. HISPANIÆ REGI, ET PHILIPPO III. SECVNDI FILIO SALVTEM.

REgibus & Principibus vti nulla legitima auctoritas nisi à Deo constat, ita etiam nulla fiducia, nulla mens, nulla spes, atque adeò nulla cogitatio nisi ex Deo esse debet. S. S. E. *Sicut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud.* Qua similitudine illud sapientissimus vir significare ac docere voluit, regis partes esse, purum, liquidum, facilem & promptum sese Dei voluntati atque nutibus mandatisque præbere, cum bona & certa felicitatis euentusque optimi spe; vt pote nec suo priuato consilio impulsum, nec proprio fidentem ingenio, aut animi impetu agentem, sed fide instructum & obedien- Regum animum qualem esse deceat. *Prou.21.*

obedientiæ propositio firmatum, agenda, gerenda, & capescenda, vel omittenda omnia ex diuinæ disciplinæ regulis & normis constituentem: ex eo autem factum, ne nihil temerè vel frustra ineatur, cuius euentus fuerit pœnitendum; vtpote quod nec humanam vim, nec efficacitatem, sed planè diuinam virtutem numquam fallentem, numquam supernacaneam, immò perpetuò commodam, certam & faustam tum numinis naturâ ipsâ tum verò mundi huius, & præcipuè cordatorum hominum experient iâ, probet ac prædicet. Hoc principes pij ac boni sentite: hoc perpetu ùm apud vos curate, ac semper testaminor.

ARGVMENTVM.

SVperioris voti certam spem Psalmus hic prædicat, notis argumentis ijsdemq; manifestis fultam, hoc est, regis alacritate & ad magnas res gerendas prompto & constãte animo, atque anteactarum rerũ felicitate corroborato & munito, cui etiam publica populi fauet exhortatio cum læto atque hilari plausu; cui pro sperata ac semper constitura victoria, supplicationis & gratulationis publicæ subiungitur denuò votum. Id verò, quod per veram imaginem de Dauidis rebus ac successibus canitur, de Christo verè & solidè atque efficaciter omnia absoluturo per vaticinium prædicitur.

1. In finem, Psalmus Dauid, *siue* ad præstantem, Psalmus Dauid. *siue,* Victori Psalmus Dauid.

DE Inscriptionis formula & modo iam anteà satis dictum.

2. Domine in virtute tua lætabitur rex: & super salutare tuum exultabit vehementer.

Rerum gerendarum ratio.

Gerendarum rerum prima & præcipua vis in animi proposito atque fortitudine ponitur, deinde verò virium & facultatis æstimatur modus, cui dexteritas & peritia adiuncta nihil non prosperè aggreditur ac feliciter conficit, confectum verò atque peractum opus laus & gloria euestigio consequitur. Horum autem omnium summa auctoritas atque integra ratio pijs hominibus apud vnum Deum constat; cuius numini cuncta tribuere, nihilq; humanis ingenio aut consilio vel robori aut conatibus arrogare præter fidem & obsequentem voluntatem, veræ atque legitimæ professionis fuerit: id quod toto hoc Psalmo agitur, quo Dauid inducta sibi fauentium oratione, se suaq; omnia ex diuina gratia virtute & efficacitate pendere declarat,

declarat, ideoq; libentissimè ac promptissimè res quantumuis arduas difficiles q; à se susci pi & strenuè agi, sine periculi vllius metu; qui apud eos qui Deo misericordi fidunt nihil impedimenti moliri valet. In virtute tua lætabitur rex] *Lætari solet perpetuò*, BEGVZECHA, firmitudine tua *(inuicta virtus ac robusta constantia* GHOZ *vocatur) non in sua humana, sed in tua diuina & verissima. Ducitur autem argumentum ex comparatione siue contentione; quippe eum qui magnis rebus gerendis promptum, alacrem, & hilarem sese propter Dei virtutem præbet, gestis demum atque ex animi sententia sine clade confectis, vehementi gaudio exultare & gestire oportuerit. Posterior hæc versus pars interrogatione pariter & acclamatione pronunciatur*, MAH IAGHIL MEOD; vt exultabit valde! *Gaudij autem tanti materiam & opportunitatem certa & votis consona Dei gratia atque felicitas datura declaratur.*

3. Desiderium cordis eius tribuisti ei: & voluntate labiorum eius non fraudasti eum.

In votis primas partes animi electio atque expetitio vendicat, secundas verò conceptæ sententiæ interprete lingua pronuntiatio: quibus ad amussim concordans euentus certam numinis voluntatem efficientiamq; probat. hæc rerum series poëtica elocutione exornata indicatur. primas enim illud significat, Desiderium cordis eius] *id quod in summa optauerat, & animo expetendum præceperat.* voluntate labiorum eius] *id ipsum quod optatum & expetitum verbis expresserat, non solùm reapse, sed verborum rationi singillatim concinens, & conueniens cum temporis, loci, ordinis, aliisq; circunstantiis, ita concessisti, vt nihil omnino requiri possit ex iis quæ ex te ille poposcerit.* Voluntate, ARAS, *idem quod apud Latinos pronuntiatum. Non solùm ex animi sententia, sed ex verborum etiam exacta obseruatione, fauere atque adnuere huic voluisti: quod singularis prouidentiæ, atque efficientiæ signum est manifestissimum, certissimum etiam argumentum egregij cuiusdam exempli in hoc viro vnicè beando ac præstantissimè ornando per te propositi atque editi.* Vota.

4. Quoniam præueneristi eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.

Nemo verè sapiens quantumuis pietate & amore in Deum calens, amoris prærogatiuam sibi iure potest adscribere, sed fateri ingenuè debet sese Deo prius fuisse dilectum, ab eodemq; benignè & gratis habere quidquid sibi bonorum contigerit: ditissimus enim Deus est, & bonitatis atque beatitatis suæ diuitias vltrò gaudet impertiri, ac reapse impertitur & communicat ijs, quorum consilia, voluntatem, atque vota probat. sunt enim hæc in homine intellectus, voluntas, & conatus, quæ humanam comitantur electionem. atque tria hæc vno bonæ voluntatis *vocabulo interdum in-* Nil boni non acceptum habemus. Humani animi partes. Bona voluntas.

Luc. 2. cluduntur, *vt in illo Angelorum carmine:* In terra pax hominibus
Felicitas non nisi à Deo. bonæ voluntatis. *Docet autem versus hic & asseuerat, veram fauſtamq́ felicitatem non temerè aut casu, sed certo Dei delectu & consilio magnis viris contingere, hoc pacto ac modo gloriæ suæ atque aliorum hominum vtilitati prospicientis.* Præueniſti eum] *quamquam poſcentem tamen tu præueneras. quadrat cum illo Iesu documento,* Scit enim Pater veſter, quid opus ſit vobis, antequam petatis eum. *Cùm te ille exoraturus peteret, iam diu apud te in promptu erat magna rerum bonarum copia, qua ornandus amplificandusq́ eſſet, atque ſummus etiam conſtabat regni*
Rom. 11. *honor.* Quis prior dedit illi, & reddetur ei? *ait Paulus.* Benedictionibus dulcedinis] BERACHOTH TOB, benedictionibus boni, *Latinè dicitur, verorum bonorum affluente copia. Duo autem ſunt*
Diuitiæ. Honos. *quæ præcipuè vulgo expetuntur, nempe diuitiæ, & honos: illæ ad vſum, hic ad ſplendorem vitæ facere putatur. vtrumque verum eſt, dummodo quænam veræ diuitiæ, quis verus honor ſit, certa definitione ſtatuatur: nihil verò iſtis nominibus dignum niſi quod ex Dei benignitate proficiſcitur.*
Vera bona. *Sunt ergo vera bona, animi dotes & facultates ac virtutes diuino munere conſtantes, & bona ac ſana mente collocatæ; quas rectè & legitimè exerci-*
2. Tim. 2. *tas ac probatas diuinus quoque conſequitur honor.* Non enim coronabitur niſi qui legitimè certauerit. Poſuiſti *tu, non ille ſibi vſurpauit aut præſumpſit;* Super caput eius; *in quo decoris primaria ſedes eſt,* coronam *incorruptibilem, & ſplendidam atque præcipui ſummiq́ honoris inſigne:* de lapide pretioſo] PAZ, *aurum purum putum ſplendidumq́ ſignificat nomen hoc, atque vnum ex tribus auri generibus nullo alio*
τοπάζιον. *metallo, nullis inmixtum ſordibus, cuius colorem atque ſplendorem aureæ refert gemma quam græci adiuncto articulo* Τοπάζιον *vocant, qualem gem-*
Piorum votum vita æterna. *mam ſignificare viſus eſt interpres noſter. Atqui pij & ſancti viri primum ac præcipuum atque adeò vnicum votum æterna vita eſt, eademque mortalis huius vitæ cauſſa ducitur: æternæ verò vitæ veritas Deus ipſe*
Iohan. 1. *eſt, in quo* vita erat, & vita erat lux hominum. *Quisquis autem vitam poſcit æternam, idem Deum poſcit ipſum, quod hic quidem Vates alibi de-*
Pſal. 72. *clarat.* Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? *rectiſſimè itaque poſcit qui vitam æternã rogat, quam qui ex Dei benignitate & munere obtinuerit, idem omnium bonorum cumulo atque ſummi honoris, hoc eſt regis titulo & cognomento auctus amplificatusq́ euadit.*

5. Vitam petiit à te, & tribuiſti ei longitudinem dierum in ſæculum & in ſæculum ſæculi.

Vita hominis duplex. *Nullis verbis, nullis hominum linguis vtriuſque vitæ veritas explicatiùs & apertiùs exprimi poteſt, quàm verſu hoc ad exemplarem reuocata dictionem: nam vitæ nomen* HHAIM *dualis formæ, duplicem hominibus paratam vitam ſignificat, mortalem videlicet, eamq́ brevem, quæ tamen*

men in alteram desinat nullo finiendam tempore : hanc vnam expeti dignam, hanc omnibus votis poscendam & contento quærendam studio, non vlli hominum sua virtute & efficacitate sibi ipsi comparabilem, sed ex Dei benignitate ac munere optabilem atque expetibilem. petiit à te] Qui verò rectè, purè ac legitimè poscit, is certè impetrat ; & tribuisti ei] cuius impetratæ descriptio illa est, longitudinem dierum. Dies hoc loco intelligimus perpetuas luces noctis & obscuritatis expertes, quales nempe cælis cælestibus sq. contingunt solis. Namque in terris orbe soleq. lumen suum voluente, dierum noctiumq. vices exercentur. S. S. E. Appellauitque lucem diem, & tenebras noctem. hoc autem in versu longitudinem dierum idem significat, quod perpetuum longos dies, eosdemq. veros dies ; cum iis quæ sub cælo degunt, nulli longi, sed breues ijdemq. varij luceant dies, alij videlicet alijs breuiores, atque omnes illi noctium ac tenebrarum vicissitudinibus obnoxij. Quod si cælestibus ciuibus dies numerari concedamus, nimirum quandiu primum quod appellant mobile voluitur, tamen terræ vmbra, cuius occasione & obiectu nox creatur, nihil de cælorum perpetua luce subducit, quamobrem nec de diei integritate quicquam adimit. Atque hæc prima cælestium dierum conditio eademq. perpetuò illustris est, quod ad naturam illius lucis attinet ; quod verò durationem siue protractionem spectat, altera etiam præstat conditio, nempe æternitas ipsa, nullo vmquam vel interpellanda vel finienda termino ; in sæculum & in sæculum sæculi. In exemplari expressius ac distinctius efficaciusq. legimus, GHOLAM VAGHAD, Sæculum & vsque. GHOLAM cuiusque rei plenam durationem, hic verò mundi significat ; VAGHAD nullum admittit finem, nullóue sistitur termino : quidquid enim statuas ac definias, duæ illæ transuolant & prætereunt voces, & vsque numerato puta mille annorum perpetuos dies, manet illa tamen integra assertio & vsque. Igitur piis vitam tantummodo optantibus, æternam illam cumprimis, mortalem verò istam quantum ad pietatis munus præstandum sit satis. Vtramque præbet pro voto Deus, non solùm simpliciter, sed magnis auctam ornamentis decoris & honoris æternarumq. laudum, qualem Dauidi obtigisse legimus ; longè autem illustriorem & comparatione omni præstantiorem Christo Iesu, quem huius atque omnium ferè Psalmorum accepimus esse scopum.

Veri dies. Gen. 1.

Sæculum.

Christus omnium fere Psalmorum scopus.

6. Magna est gloria eius in salutari tuo : gloriam & magnum decorem impones super eum.

Quidquid magnum, pulchrum, commendatione q. verè dignum ducitur, id totum Dei prouidentiæ, tutelæ, atque efficientiæ acceptum pij referunt. In salutari tuo] In salute à te ipsi parta & conseruata, periculis ac difficultatibus quamuis maximis erepto ac superiori euadenti : ita vt nihil discriminis vnquam tam ardui obiectum, vnde cum summa laude

non emerserit incolumis, tanta adeò tamq; sublimis conditio est eius, quem Deus in regem adoptauit & vnxit. KABOD *Latinè* amplitudo *dici potest.*

Gloria.

gloriam] HOD vim, virtutem, auctoritatem & laudem

Confessio.

significat, atque aliàs à Latinis interpretibus dicitur confessio, *id est, publica ac legitima probatio. Itaque* HOD *testimonium appellatur legitimum ab Angelis & hominibus, vel volentibus candidè & ingenuè datum, vel in vitis etiam, tamen ex veri vi, extortum. cuius rationis illud*

Philip. 2.

est: Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomẽ quod est super omne nomen: vt in nomine IESV omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Et magnum decorem] HADAR *Latinè* reuerentia *non incongruè dicitur, vt ex illo iussu colligimus* VEDAL LO THEHADER BERIBO,

Decor.

Exod. 23.

Et pauperem non reuereberis in lite. Posuisti super eum] *Verbum* SAVITHA *duobus Latinis redditur,* posuisti, *&* æquasti. *Ita significatur vtrumque decus æquè regi nostro Dei munere & auctoritate suffectum constare, id quod non modò felix faustumq; esse, verùm perpetuum atque adeo æternum permanere prædicatur.*

7. Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Certam, plenam, statam & nunquam desituram felicitatem, nomen BERACHOTH *plurale iunctum verbo* HASITHEHV *atque adiuncto* LAGHAD *exprimit. quæ sic vtcumque Latinè vertere licet,* Nam certè statuisti eum benedictiones ad vsque. *alludit carmen hoc ad oraculum illud,* Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. *Id quod vt ex Dei numine, munere, & voluntate, atque gratia profectum, summa cum lætitia perpetuò obtinendum asseritur.* THEHHADEHV BEZIMHHAH ETH PANEICHA, exhilarabis eum in lætitia apud facies tuas. *idem fere valet* apud facies tuas *siue* cum vultu tuo, *atque Latina illa,* volens, libens, annuens *atque* præstans. *Atque hanc felicitatem legitimè & rectè concinneq; à Deo effici & præstari, exposita euestigio conditio declarat; siquidem huiusmodi maxima dona, ac perfectissima bona & munera, non cuilibet promiscuè vel temerè citra delectum, sed ei tantùm contingunt, quisquis fide instructus efficaci, atque spe fultus firmissima, Deum constanti pietatis colit obsequio.*

Gen. 22.

Cum vultu tuo.

Dei dona quibus cõtingant.

8. Quoniam rex sperat in Domino: & in misericordia Altissimi non commouebitur.

Namque fide, spe, ac pietate concepti ex diuina misericordia fructus, ad bonam demum frugem commodè ac maturè perueniunt: Non enim qui inceperit

ceperit (tantùm) sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. *Matth.10.*

A Domino salutari *omne Regibus principium esto; in eundem omnis referatur exitus, vtpote suis omnibus numquam defuturum, illis inquam maximis & efficacissimis nullique alij naturæ communibus nominibus* IEHVEH *&* GHALION, *id est*, efficacissimo & supremo *siue* altissimo; *quo primùm apud Melchizedekum appellari accepimus*: Erat enim Sacerdos Dei altissimi & benedixit ei (*Abramo*) & dixit: Benedictus Abram Deo excelso, qui creauit cælum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt: *Ipse etiam Abrahamus felicitatis omnis sibi bello atque pace contingentis non alium præter hunc auctorem singulariter ac propriè agnoscit*: Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli & terræ, quod à filo subtegminis vsque ad corigiam caligę non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas: Ego ditaui Abram. *Omnia illa cognomina Latina*, altissimus, excelsus, *quater in illo repetita loco, vni* GHALION *vocabulo respondent, cui quidquid piis & fidelibus euenit boni vt auctori vnico acceptum referendum volenti atque præstanti. Nam præstantiam & efficientiam primum nomen* IEHVEH, *voluntatem verò ac liberalitatem* HHEZZED *id est, misericordia, siue benignitas prædicat: qua quisquis fultus res quamlibet arduas aggressus fuerit*, non commouebitur, *non nutabit, quominus*

A Deo & in Deum omnia.

Deus Altissimus. *Gen.14.*

9. Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.

Nullam, vel multitudine & copia maximam, vel robore & belli studiis asperrimam, hostium vim fore ait, cuius victæ ac superatæ atque adeò pessundatæ & profligatæ gloria rex non demum perfunctus fuerit, si illorum, quæ citata & appellata sunt, nominum maiestas, auctoritas, & virtus pollicetur; quippe quorum ille præsidio firmus consistit. manus *potestatem & dominium & facultatem significat, quam neminem hostium effugiturum aut euasurum verbum* THIMATSE, inueniatur, *declarat.* dexteram *verò, virtutem, actionem, gerendæ rei peritiam & facultatem cum dexteritate interpretamur. prius autem verbum à posteriore expeditur. tu, inquit, ita strenuè rem ages aduersus omnes, vt nemo ex hostibus euadat, quin tuam subeat ac sentiat potestatem; nec verò solum aduersus inimicos, qui apertè tibi negotium facessere studuerint, sed aduersus* omnes qui te oderunt, *animo, quamquam nihil adhuc fuerint moliti. ita vndique victoria parta pacem & securitatem tibi promittit, efficiétque Deus, non modò opprimendis hostibus, sed inuidis etiam & osoribus. namque hoc inter* AIAB *&* SANA *verba, adnotatur discrimen. Exercent quidem improbi & malcuoli pios: ita enim à constitutione mundi spectatum constat, duobus nempe partium ducibus, Deo excelso, & antiquo*

Manus.

Dextera.

Proborum & improborum vitæ exitus.

tiquo ſerpente Dei & bonorum aduerſario contumaciſſimo: ſed diuerſo admodumq; differente vtrorumque exitu; illorum, inquam, gloriæ & felicitatis, iſtorum verò exterminij & perditionis perpetuæ: quippe quorum inimicitia, inſolentia, & improbitas in ipſa regis cauſſa diuinàx etiam prouidentiam & maieſtatem tentare atque impugnare auſa fuerit, vt iam Pſal. 2. *aliàs notatum damnatumq; conſtitit.* Aſtiterunt reges terræ & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. *Qualis autem iſtorum expectandus ſit exitus eueſtigio declaratur.*

10. Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira ſua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.

Ex verborum vi tranſlatio facilè tenetur, qua inimici regis non ſecùs proſternendi & obruendi ac miſcendi ſignificantur, atque ligna, ſtipulas, & ramos poſt exciſionem in magnam fornacem conijci & cogi videmus; quibus igni admoto vehementis impetus venti citiſſimum concitat incendium, nulla prorſus exigui aut magni ratione habita, quando eiuſmodi natura & vis ignis eſt, vt nulli omnino parcat obiecto lignorum generi.

In tempore vultus tui] BEGHET PANEICHA, *cùm tu in iſtorum punitionem faciem intenderis tuam, id eſt, iſtis iam exitio damnatis ac traditis, tum verò* IEHVEH *efficaciſſimum numen* in ira ſua, BEAPO, in naſo ſuo, *indignationis vehementiam tropus hic indicat,* Pſalm. 2. *vt illud:* Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. *Ingentem verò animorum atque rerum confuſionem & Babylonicam quandam trepidationem verbum* IEBALAGH *hoc in loco ſignificat, qualem flamma in ſtipulis efficit. Vnde & vorax à poëtis cognomi-* Ignis vis. *natur. ignis autem facultas & vis omnis edendo & conſumendo viget, interim ea purgans quæ puriorem ac fortiorem ſortita ſunt naturam, qualia in metallis aurum argentumq; habentur. atque omnis oratio hæc, vt pleraque aliæ in Pſalmis, ex tranſlatione ſiue allegoria inſtruitur; ita verò arbores, herbas, plantasq; alias vehemens perurit & abſumit ignis, vt nec reſtitui aut oboleſcere ſinat; fructibus videlicet prorſus correptis & ſeminis intercepta ſpe: id quod in noualibus viſitur, quæ ferro & flammis terræ purgandæ & ad meliorem frugem comparandæ cauſſa mitigantur: cuius rei imaginem in improborum ſtatuendam rebus Vates ominatur.*

11. Fructum eorum de terra perdes, & ſemen eorum à filiis hominum.

Hoſtium vtriuſque Dauidis abolitio. *Hæc ſi ex hiſtoria interpretemur, immane quantum hoſtium à Dauide confectum in ſacris annalibus legimus; Chriſti verò & inimicorum illorum qui primi ſeſe euangelio oppoſuere, quænam inter homines extat familia? quæ domus? immo & quodnam caput quin primo etiam ſeculo fuerit è filiis hominum ſublatum? Atque de hiſtoria hactenus aperte ac ſimpliciter: illud au-*

lud autem nobis dolendum, quòd hoc ævi agimus, vt nec germanum horum carminum sensum agnoscere, sed ne cognoscere & capere mortales aut valeant, aut studeant. Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, 2.Cor 4.
vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi; Vt iudicentur 2.Thess.2.
omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. *Atqui quam vltionem regis inimici latura prædicuntur, eam suo malo merito, suaq; sibi parasse fraude accusantur; neque enim Deus iniquus est qui iram inferat, sed iustissimus iudex, qui sue atque Christi sui veritatis, auctoritatis, & efficientiæ aduersarios, graui, seuero, & legitimo damnat iudicio. legitimum namque est, vt quod quisque in alterum parauerit ac molitus fuerit, idem expectet ac sentiat mali.*

12. Quoniam declinauerunt in te mala: cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

Vim cum fraude coniunctam contra Dei vnctum ab istis magna calliditate, ingenti astu, quamquam frustra, adhibitam & munitam duo verba significant. declinauerunt] NATV, tetenderunt. *translatum verbum à piscatorum & aucupum retibus atque pedicis, quæ capiundis animantibus obtenduntur aut inclinantur. idq; occulta calliditate & præmeditato astu.* MEZIMAH *verò cogitationem consiliumq; interpretamur, non sine industria & præmeditatione initum alterius lædendi aut perdendi caussa: quale in falsis testibus atque in calumniatoribus damnatur. Eosdem verò sic peruersè & callidè agentes non dolo aut fraude, sed viuida virtute atque efficaci dexteritate à rege confectum iri prædicit Vates, vehementiũ & ineuitabilium telorum & sagittarũ certissimis ictibus.*

13. Quoniam pones eos dorsum in reliquiis tuis: præparabis vultum eorum.

Translatio à sagittariis ducta est, qui sinistra manu arcum, dextera ner- Sagittariorum mos.
uum & sagittas tenentes, læuum humerum ei rei quam ferire intendunt, opponunt. Parthi verò à tergo iaculari narrantur. Pones *itaque* eos dorsum *siue* humerum, SECHEM BEMEITHREICHA, in neruis tuis; *Nam sic etiam Latinis arcus chorda vocatur, atque ita interpretamur versionem* In reliquiis tuis. Præparabis vultum eorum] *Sagittas in hostium faciem ipsam certissimo iactu dirigendas ait. Arbitramur autem Homerum descriptionis huius exemplar intuentem dexteritatem & felicitatem Vlyssi suo in conficiendis ac tollendis procis arrogasse.* THECHONEM GHAL PENEICHEM, Diriges contra facies eorum. *Huius autem victoriæ & salutis ac felicitatis gratulationem, Deo auctori carminibus dicatis celebrandam cantores vouent; à quo omnia & per quem omnia, ipsi gloria in æternum.*

14. Exal-

UNIVERSIDAD DE MURCIA

14. Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus & psallemus virtutes tuas.

Diuinæ prouidentiæ atque efficacitatis gloria, aduersus impietatem improbitatemq; omnem effectorum expectatis probatur atque asseritur exemplis: qualia vt edantur, poscit ac vouet Psaltes, adeoq; certa concipit spe vt versibus & carminibus à se suisq; sociis cantandis celebrare iam gestiat. Id igitur, quod auctoritate ac maiestate diuina dignum est, poscitur ac vouetur; quodq; caput & fons omnis precis legitimæ habetur ac ducitur, idem dicendorum principium, idemq; colophon & extremum statuitur. In virtute tua] BEGHVZECHA, in validitate fortissima, cantabimus *carminibus componendis & iisdem voce modulandis & pronunciandis.* Psallemus virtutes tuas] GIBOROTHCHA, *res à te præstantissimè confectas. nam prius nomen* GHOZ *natiuam & germanam vim & efficacitatem & magnanimitatem, posterius* GIBOROTH *edita virtutis illius argumenta & exempla significat. Ex verbo,* virilitates, robustitates, *vtcumque vertendum; nam paria nobis Latina non liquent verba; Hispanicè* tus barraganias.

IN PSALMVM XXI.

LVCIANO NEGRONI CANONICO ET ARCHIDIACONO HISPALENSI.

SAnctorum scriptorum studiis accuratè ab ipsa prima iuuenta dicatum atque deditum te semper ipse in nostris moribus miratus, vt dilexerim, coluerim, & amarim, scis; vtpote quem non auaritia nec ambitio, duo mundi huius peruersè credita & adorata numina, ad literarum disciplinam pellexerint aut impulerint, sed sola humanæ salutis & felicitatis veræ cura: qua posthabita, nihil quod iure expetatur hominum generi veri boni reliquum est. eius autem salutis caput rationemque summam in vna tantùm Christi Iesu cruce sitam, nec aliunde petendam diuino munere didicisti. Crucis verò mysteriũ quamquam nondum assecuti simus, tamen consecuti ac venerati diuinæ-

uinæque miſericordiæ ac ſapientiæ immenſitatem admirati conſequi eodem promouente pergimus, quoad à patre luminum deducti ac prouecti, demumque immutati obtineamus: obtinebimus autem, ſi initium notitiæ illius vſque in finem retinuerimus. Atque huic fouendæ notitiæ cogitationum atque meditationum materiam ſacrorum Dauidis Pſalmorum attenta lectio largè ſufficit. omnis illa quidem quacumque ex parte ineatur, ſed ſingulari ac propria, certa, clariſſimaque deſcriptione Pſalmus is, cuius inſcriptio in exemplari lingua ſic ſonat, LEMNATSEAH GHAL AIALATH HASAHHAR MIZMOR LEDAVID, Latinè ex verbo, *Præſtanti iuxta ceruam auroræ Pſalmus Dauidis.* Pſalmi inſcriptio.

Arbitramur autem carminis vulgatum atque celebre genus ita inchoatum, AIALATH HASAHHAR: cuius exemplar Vati non ſolùm ad modos & numeros, verùm ad voces & ſyllabas fuiſſe propoſitum. Namque ijſdem ipſis literis, quamquam non eodem ordine pronuntiatis, vtrumque incipitur, אלי & אילה: itaque vocum paronomaſia & modorum ſimilitudine admirabilis illa querimonia inſtructa eſt; qua ſeruator orbis Dei vnctus ſubitam ſibi ſponte, atque ex Patris ac ſancti Spiritus miſericordi quoque & communi trium perſonarum conſilio, conditionem deſcribit; vt mortalium omnium infimam & abiectiſſimam ipſo vſu, ita reſpectu maturati ac demum præſtiti fructus, cunctarum quæ laudari merentur, præſtantiſſimam & beatiſſimam. quam te nobiſcum & cum ſpiritibus cæleſtibus contemplatum, humano generi, cuius res in hoc Pſalmo agitur, gratulaturum certò ſcio. Vale ex rupe noſtra apud Aracenam, Kalend. Aug. CIↃ. IↃ. XCVII.

ARGVMENTVM.

LVcis ac tenebrarum diſcordia numquam componenda atque ingens inimicitia ſemper fuerat, non ſecus atque boni & mali, quæ miſceri poſſe rerum natura negat. Vidit *enim* Deus lucem quòd eſſet bona: & diuiſit lucem à tenebris, appellauitque lucem Diem, & tenebras Noctem. *Res autem ſic habuit ab initio creaturæ, quam creauit Deus, ad ſæculorum vſque finem; cùm verbum caro factum, propoſitum ſibi cum tenebris certamen libens volenſq; ſubiens qua* Gen. 1. Crucis victoria.

parte infirmus erat, nempe homo, in similitudinem carnis peccati generis humani communem ac publicam personam sustinuit: atque inimicorum, id est, peccati, mortis, & inferni, validissimum impetum atque immanem pugnam solus tulit; laboreq; maximo cum corporis tum animi exanimato, moriens denique superauit: demumq; tenebris deiectis, disiectis, atque è medio prorsus sublatis, qui lux venerat in mundum, è mortuis suscitatus victoriæ præmium sublime tulit nomen, & cælestis regni non modo legitimam possessionem, verùm etiam benignissimam cum suis communicationem, iis videlicet, à quibus receptus est, fratribus vocatis & in paternam familiam conscriptis ac perpetuæ Dei consecratis gloriæ. Hæc sacrosanctæ Christi cum tenebris pugnæ summa historia Dauidi Christo diuinitus dictata pulcherrimis ac dulcissimis Psalmi huius carminibus per vaticinium excepta ac decantata constat; cuius primus & optimus interpres, idem patris verbum Iesus Christus Dei filius, in ipso certaminis extremo conflictu nobis constitit declaratus.

2. Deus Deus meus respice in me: quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum.

CVm legeret Psalmum hunc sine vocalibus Latinus interpres noster prudenter ac scitè primas duas primi versus partes bifariam simul reddidit: namque אלי אלי *sic legi ac pronunciari licet,* ELI ELI ELAI; *quæ Latinè sic sonant,* fortis mi fortis mi, ad me *subaudi* respice. *Appellatur autem Deus cognomine* fortis, *quod cum præsenti pugnæ & certaminis caussa apprimè conuenit. Omnis namque Iesu Christi virtus, vno diuini numinis præsidio, tanquam proprio centro & fundamento, nititur ac fulcitur: quippe numquam diuinitas abillius humanitate separata fuit.* Ego & Pater vnum sumus (*aiebat ille*) & *in cruce* Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. *Euangelistæ autem hoc hemistichium eodē modo omnes exceptum interpretantur,* Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? *à Christo homine ex infirmitate crucifixo pronunciatum referentes. Constat autem totus Psalmus partibus tribus; querimonia primum, qua Christus humanam conditionem à se vtrò susceptam peccati extinguendi & abolendi caussa omnium hominum durissimam & laboriosissimam expertus narrat & exponit; humilitatem atque infirmitudinem suæ describit carnis, cùm peccatorum, non suorum, sed nostrorum (quæ morienda expiabat) immenso pondere pressus, & acerrimo affectus veneno, longè magis propter dissuetudinem vexabatur, quàm cæterorum quispiam mortalium sese vexari talia patiendo sentiret. Namque innatum serpentibus ipsis virus, vel nihilum, vel certè longè minus sentitur, quàm idem puræ & sanæ cuiusuis animantis, nedum humanæ, carni conceptum & conbibitum. tum verò, si quispiam in ignem coniectus nudo exuratur corpore, flammarum atque ignis vim sentiet quidem ille vehe-*

Iohan. 10.
2. Cor. 5.
Christi agonia.

UNIVERSIDAD DE MURCIA

vehementem; verùm longè is acerrimam, qui paulò antequam conïjceretur in rogum, viuens ac valens totus intus atque in cute viuo sulphure penetratus, oblitus, ac perunctus fuerat. Christi carnis puritas.

Atqui IESVS *Christus spiritum quidem & corpus eiusdem cum primo Adamo naturæ obtinuerat, verùm vtrumque purissimum & integerrimum, ab omni criminis & culpæ labe ac noxa prorsus alienissimum; & homo erat, non qualem sese vetus Adamus paulo postquam formatus fuisset reddidit, sed qualem diuina primùm condiderat atque præstiterat manus. Hoc enim sanctus Lucas apertè astruit, cùm Christi generis seriem à Ioseepho ac Dauide ad primos vsque hominum parentes contexuit;* Qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei. *Luc. 3.*

Redemptionis humanæ mysterium.

Idem itaque Christus peccatorum purgationem effecturus, humano generi non natiuum, sed insitum & infusum communiter penitusq; inhærens ac prorsus exuberans venenum, numquam aliàs vllis expiatum remediis, solus in arcana illa sacrosanctaq; cæna vltrò exuctum atque susceptum virtutis propriæ præstantia in cruce superauit & extinxit. qua in pugna quanquam anteà angeli voce ac monitu confortatus, tamen à Patre suo extrema quæque laborum ac dolorum ad mortem vsque eandemq; acerbissimam perferre ac pati permissus est, atque hoc pacto absolutissimæ obedientiæ & probatissimæ virtutis demum laudibus legitimo iure decoratus & amplificatus, etiam quà homo dicitur, euasit. Christi humiliatio & exaltatio.

Nec enim tam sublime nomen quod est super omne nomen *adeptus esset, nisi ad infimam humanæ humilitatis & seruitutis conditionem (peccato proprio immunis) demitti, tentari, atque examinari sese fuisset passus. quam conditionem hoc Psalmi initio conqueritur Christus ipse, non qui respuat, aut pro tempore mutari poscat, vtpote hominum saluti efficacissimam atque vnicè opportunam; sed qui verè durissimam, difficillimam, &, vt ita loqui sit fas, miserrimam, laboriosissimamq; testetur, persentiens videlicet ac lamentatus, idem qui laborum omnium atque tentationum patientissimus, quàm plurimis iam antea fuerat probatus exemplis. Queritur verò se à Deo fortissimo derelictum eo tempore, quo languores nostros omnium portabat, & infirmitates nostras ipse super lignum, suo nos omnes sanaturus liuore, ferebat. Nec verò intelligimus illum à Deo (vti dicebamus) prorsus derelictum ac repulsum; sed infirmitudine, quam susceperat, publica omnium, vehementissimè ad extremum vsque laborare situm, interim pacis nostræ impositam sustinuisse disciplinam: nam aliàs idem homo idemque Deus mortuus haud fuisset, nisi inuictissima virtus* EL *in ipso, quæ nunquam quidem defuit, paulisper tamen cessauisset. est itaque obsequentissimi filij ad seuerum iudicem eundemq; fortissimum patrem, suæ pro aliorum noxa castigationis auctorem & spectatorem, ex acerbissimo dolorum & cruciatuum sensu vehemens & efficax exclamatio & querimonia.* Christus vt derelictus dicatur.

Fortis mi, mi fortis, quare *siue* ad quid me dereliquisti? *ita vt quamquam vehementi labore pressum atque impensissimè dolentem, tamen ad finem vsque premi, vexari, & infirmari*

decreueris; tantum abest, vt me, nisi consummato per mortem infirmitatis & obedientiæ certamine, laboribus vtrisq; exceptum & ereptum velis.

Longè à salute mea verba delictorum meorum] *Scio, inquit, te ita statuisse, vt me, quamquam præ nimio peccatorum alienorum pondere clamantem, præ durissima castigationis disciplina rugientem, tamen ad extremum vsque infirmitatis meæ voluntatem iustitiæ atque voluntati tuæ committere ac prorsus dedere desideres: vt verò sentiam, vtq; quod sentio, intimo clamem & referam sensu, permittis; & vltra omnium antiquorum parentum atque adeò vltra omnium piorum tentationes me finis tentari. Exemplaris quidem lectio planior est,* RAHHOK MISVGHATHI DIBREI SAAGATHI, longe à salute mea verba gemitus, rugitus, & clamoris mei. *Quamquam ego vehementer clamem & rugiam atque gemam, tamen non ideo me hoc acerrimo certamine ereptum iri scio, sed nec ereptum volo,* Non mea voluntas sed tua fiat. *Interpres noster affinem vocem* SAGAH *ad expositionem* SAAGA *arripuisse censetur. significat autem* SAGHATHI errorem meum. *& idem, cùm vocalibus careret scriptura, plurale pro singulari vsurpauit, nimirum quod in vtroque numero* THAV *litera incidere posit,* SAGHATHI, erroris *siue* delicti mei, SIGOTHI, errorum *siue* delictorum meorum. *Atqui perpetuum & continuum laborem suum toto illo tenebrarum potestatis tempore intelligens, interno clamore sese Deo iudici & gubernatori suo repræsentat, videnti quidem & audienti, verùm quoad iustitiæ diuinæ satis fiat, interea velut conniuenti.*

3. Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.

Christus in corde terræ. *Totis tribus diebus ac totidem noctibus, quibus Christus in corde terræ fuit, hoc est, à Cænæ sacrosanctæ hora, vsque ad eam qua ex mortuis extitit, (qui legit, intelligat) perpetuo clamore ac sermone gubernatorem iudicemq; suum compellabat; eo modo, quo compellantes & clamantes animos Deus, quamquam ore tacentes, tamen audit ac tenet. Est autem hic infirmiorum, & grauissimè ægrotantium naturalis affectus, qui quamquam lingua nihil pronuntient, tamen quandiu dolent, id semper animo ac mente voluunt, id agunt, & secum atque cum Deo conquesti curant & repetunt. Futurum* clamabo *perpetuitatem, vt sæpe alias, adsignificat,* incessanter clamo. *Erat autem clamor ille ad Deum suum, gubernatorem atque iudicem omnium hominum, quorum damnatorum supplicioq; destinatorum partes ipse præstabat ac sustinebat, suorumq; commendabat & vouebat salutem ac liberationem. Nec verò se homines vocare aut appellare ait, in quibus nulla salus est; sed Deum suum.* & non exaudies] *exaudire hoc loco idem quod respondere est,* THAGHANEH, non respondebis. *Clamante me, tu interim taces, non qui non audias, sed qui taciti ac seue-*

ac seueri iudicis more, animum, laborem, dolorem q. meum contempleris, dies atque noctes perpetua acerbitate ducentis, & numquam gemere, & intra animum clamare cessantis. hoc significare vult versio, & non ad insipientiam mihi; *id est, nec interdiu nec noctu vel dolore careo, vel sensu & cognitione eorum quæ perpetior, & quamobrem perpetiar, vaco. Ex exemplari lingua clarissimè res percipitur.* VELO DVMIAH LI & non silentium mihi, *id est*, numquam enim sileo. *Atqui maximum ac singulare taciturnitatis & conniuentiæ (vt ita loquamur) diuinæ exemplum, maximæ quoque ac singularis causſæ atque rei eiusdem q. nouæ argumentum, præbet: nam quodcumque eodem se semper habens modo tamen insueta notatur exceptione, rarum aliquod & maximi ponderis arguit negotium, in naturali præsertim efficacitate & virtute; cuius argumentationis non pauca apud poëtas occurrunt exempla. Contexitur autem argumentatio sic.*

4. Tu autem in sancto habitas, Laus Israël.

Cumprimis illud statuitur, Deum eâdem semper virtutis, efficacitatis, ac numinis, atque prouidentiæ maiestate ac singularitate vigere, atque immutabiliter valere, qua in Israëlis dilecta sibi domo, familia, & gẽte, probatus ac sæpissimè laudatus prædicatusq. enituit, & constitit; non ipsis modò, quos apertis, manifestis, nec vulgaribus & communibus beneficiis prosecutus fouerat, verùm hostibus etiam, atque adeò gentibus omnibus, quibus Israële ornando & amplificando sese præbuerat ac declarauerat admirabilem. Hæc est assertionis plana explicatio illius: Tu autem in sancto habitas, Laus Israël; *ex exemplari verbo,* VEATHAH KADOS IOSEB THEHILOTH ISRAEL, & tu sanctus sedes, Laudes Israël. Dei erga Israëlem prouidentia.

Sanctus dicitur Deus non propter naturam solùm, qua vnicè sibi constat, nulli alij comparandus aut sociandus naturæ; sed etiam propter prouidentiæ atque efficientiæ, tum communis in omnes mundi partes, tum verò singularis in sibi dilectos, manifestam ac declaratam facultatem, rebusq. comprobatam ipsis. quam sanctitatis rationem ex illo didicimus carmine, In exitu Israël de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro: Facta est Iudæa sanctificatio eius, Israël potestas eius. Habitare *verò, siue* sedere, *constantiæ & quietis perpetuitatis durationisq. significationem obtinet. idem, inquit, nunc tu es qui semper fuisti; eodem beneficentiæ, misericordiæ, atque prouidentiæ in omnes, in Israëlem verò singulariter declarato numine, manes & perstas; à nemine impeditus, per neminem, nec per te ipsum, varius ac mobilis; idem demum es, quem compluribus temporibus, quàm plurimorum beneficiorum in se positorum laudibus Israël, & pater & patris posteritas eodem dicta nomine, sæpius celebrauit. Atque hanc assertionem expoliendo confirmat auctor idem:* Deus sanctus. In Psal. 113.

5. In te sperauerunt patres nostri: sperauerunt, & liberasti eos.

Spei virtus. *Spei virtus animo insidet, vt fides, Deumq; solum inspectorem, testem, & approbatorem sortitur: quantum enim quisquam speret, quantum fidat, non ex oratione, sed ex euentu perspicitur: nam qui voti compos euaserit,* Rom. 5. *idem ritè ac legitimè sperasse probatur; S.S. E.* Spes non confundit. *id quod de legitima & firmissima beneq; inita spe dicitur. cùm verò ex animi sententia res eueniunt, rectæ spei pariter afferunt significationem. Verbum* BATAHH *fidere, confidere & sperare Latinè interpretamur; atque nomen* BETAHH *ex eodem verbo ductum fidentem spem vertere licet. Innumera verò variis temporibus difficultatum commemorantur exempla; quibus omnibus Abrahamus, Isaacus, Iacobus, atque horum etiam posteri, apud Chananæos & Chaldæos, apud Aegyptios, & apud alios etiam homines, tentati & exerciti, tamen bonis bonæ spei euentibus incolumes euasere. Prius verbum,* in te sperauerunt, *rem ipsam & virtutem asserit; posterius verò* sperauerunt, *non ad repetitionem, sed ad compositionem referimus, hoc sensu: nouimus patres nostros in te sperasse, eosdémque spei suæ compotes factos incolumes præstitos.* In te *illi* sperauerunt; *atque ijdem qui sperarunt, ita vt sperauerant, iisdemq; temporibus & periculis liberati auctore te emicuere:* VETHEPALETENV, *illos eosdem tu* liberasti: *nam rerum ipsarum ac periculorum magnitudo superata, nullam aliam nisi tuam solius probare virtutem potuit; vtpote maximam & in extremis ac durissimis rebus præcipuè spectabilem. Id quod vt illi in seipsis verè senserunt, ita etiam vtroque nomine, tam spei & fiduciæ suæ, quàm opis opportunè à te latæ, cæteris manifestè probauerunt mortalibus: fiduciæ enim suæ argumentum clamores & precationes in rebus temporibusq; difficillimis, tuæ verò singularis prouidentiæ atque opitulationis manifestum euentus ipsi præbuere signum.*

6. Ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi.

Posterior pars, hoc est, consequens exitus, prioris indicium certissimum fuit; videlicet fiduciæ atque spei non frustra conceptæ, in difficillimis præsertim periculis, quibus diuina manifestè apparet virtus, eos dissoluens ac vindicans nodos, quos nulla minor aut sapientia expedire, aut vis dissoluere ac vindicare valeret. Et non sunt confusi] *pudefacti aut spe frustrati sua. Atque hactenus totius argumentationis primum caput instructum, hoc est, maior quæ vocatur dialecticis, rhetoribus verò propositio, cum explicationibus partibusq; suis. Est enim argumentationis totius illa breuiter summa. Mi fortis, præsidiumq; meum, spectantibus me, à te derelictus videor, ijsdemq; indignus putor, qui à te salutem impetrem; vt-*

pote

pote tibi inuisus & infensus ex illorum opinione. cui adstruendæ illa comparantur argumenta; neminem tibi carum, quamquam laborare permissum, tamen in labore periisse; sed sperantes atque fidentes tibi omnes è magnis fuisse palàm ereptos periculis: id quod manifestis patrum nostrorum exemplis exploratum constat; atque hoc tunc præcipuè fuisse spectatum, cùm tempora maximè opportuna inciderent, hoc est, in extremis laboribus piorum tuamq; opem poscentium virorum. cuius rei exemplo in me requisito, me nec pium, nec tibi dilectum, aduersarij argutari, & exprobrare student mei. Namque primùm omnibus in confesso est mecum, nempe te in opportunitatibus, in tribulatione, piis & in te sperantibus hominibus præsentem salutaremq; probari; me autem in maxima pressura te vnicũ Deum gubernatorem iudicemq; meum appellare, nec experiri tamen adiutorem, quin potiùs aduersum visum; atque ideò improbæ caussæ putari conuictum. Duo enim si simul in homine concurrant, vera pietas, & maxima difficultas atque afflictio, certam auxilium petentis promittunt spem. quæ duo in me simul esse isti negant, cùm alterum, hoc est, summus labor ac durissimus atque infima temporum conditio apertè cunctis constet: qualem & ipse sentiens & clamans ac gemens indico. Siquidem alij, quamquam oppressi aliquando, ad ferendos labores, viribus, robore, atque valetudine firmiore spectabantur, & spectaculo sui multorum clementiam & misericordiam humanitatemq; solicitabant ego verò omnium hominum vilissimus & abiectissimus ducor, vtpote seruilibus modis interfici ac perire damnatus.

7. Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.

Christi humiliatio.

In quem humilitatis & abiectionis locum Dei filius Christus fuerit pro nobis descendere permissus, vel hoc vnico indicatur versu, simulq; arguitur peruersæ humanitatis improbitas: à qua summa probitas, & genuina, libera, ac simplicissima humanitas indignissimis fuerit excepta modis: iuxta illud, In propria venit, & sui eum non receperunt. *Nulla enim rerum natura æquè Christo propria fuit atque humanitas, id est, homines ipsi: apud nullum autem rerum genus non cognitus acceptusq; fuit, nisi apud homines tantùm: quippe cui in solitudine feræ obsequebantur, angeli ministrabant, venti & mare obediebant in aquis, ipsa rerum copia cibos aliis diuidendos non semel suggessit. quas tamen naturas nec ille subierat, nec seruandas redemptor susceperat: humanæ autem naturæ adiunctus & Adami filiorum vicem præstiturus, durissimè & iniquissimè fuit exceptus. Namque vt arcana & mystica taceamus, quæ nunc reuelare opportunum minùs ducimus; nulla mortalibus vlterior laborum conditio quàm mors est; nulla mors durior quàm seruile supplicium; in quo genere crux omnium abiectissima ac despectissima habetur, maximè quæ opprobriis, derisionibus, & variis ludibriis ac nouis cruciatibus & exprobrationibus cumulatur. quæ omnia*

Iohan. 1. Christus ab omnibus rebus præter homines exceptus.

omnia in vnum Christum edita, summam præferebant miseriam; atque apud humanam sapientiam, Dei quoque in visum caput notare & arguere contendebant. Ego autem sum vermis] *non vir sanctus esse credor (quales ij qui aliquando è duris rebus liberati fuerant, habebantur) sed terrestris quispiam vermis, inutileq; telluris pondus; & tale monstrum, vt humani generis opprobrium videar, cuiusmodi ea quæ monstra vel monstro similia habentur.* Non homo] LO IS, non vir. *nam*

Vir. *nomen* IS *præstantiam magis quàm naturam significat. Tantum abest vt inter viros numerer, vt vermibus abiectissimis par existimer; pudeatq; homines ipsos filios Adami, si hominem me similem sui, sed potius generis humani vocent opprobrium. Quid mirum verò, quando omnium hominum, quamlibet detestabilium, scelera & peccata atque immania etiam flagitia huic vni susceptа, Deus imposuerat luenda & expianda? qui quo loco id*

Isai. 53. *temporis fuerit, ab aliis etiam indicatur Vatibus.* Non est species ei neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum: despectum & nouissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus eius & despectus, vnde nec reputauimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit; & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & in liuore eius sanati sumus. *Ex quo vaticinio luce clarius apparet, quid Christus de conditione sua in cruce pendens Deo commemoret Patri.* Opprobrium hominum] HHERPATH ADAM, *idem quod Latinè: generis humani dedecus & hominis prodigium, vulgi irrisionibus & insultationibus expositum. hoc significat amplificatio illa,* abiectio plebis, BEZVIGHAM, despectus vulgo, *qui plerumque temerè damnatos omnes promiscuè odit, & miserorum insultat calamitatibus; tantum abest vt misereatur aut condoleat.*

8. Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, & mouerunt caput.

Vulgi mos. *Magistratuum & nobiliorum iudicia, qualiacumque sint, populus ferè semper sequitur. ita factum est, vt qui nuper ingressum Iesum Ierosolymam, plausibus & acclamationibus ac publica lætitia exceperat; paulo pòst captum in iudicium, ductum, à principibus persuasus ad supplicium postulauerit, damnatum verò indignis modis tractari gauderet, ac demum cruci affixum, dicteriis, probris, & irrisionibus ad extremum vsque fuerit prosecutus. Tantum humana prauitas veræ virtuti atque simplicitati sese præbet inimicam, vt etiam summis affecta beneficiis, ingratissimam se &*

Caput mouere. *iniurioſissimam reddat.* Omnes videntes, *quicumque carnis & sanguinis, hoc est, veteris Adami, sensu aguntur,* mouerunt caput] *Vehemen-*

hementer irridentium & insultantium habitus est; vt illud, Sibilauerunt & mouerunt caput suum super filiam Ierusalem. Locuti sunt labiis] *Hac formula gesticulatæ pinguntur insultationes; quæ non communi tantùm habitu & gestu, sed productis prominentibus q; labiis vulgo pronuntiantur. Irrisionis autem summum argumentum eiusmodi futurum, Spiritus sanctus Vati dictabat.* Thren. 2.

9. Sperauit in Domino, eripiat eum: saluum faciat eum, quoniam vult eum.

Sarcasmum vocant huius tropum artifices: cùm iis qui grauissimo labo- Sarcasmos
rant incommodo, aut etiam qui victori succubuere, aut aliàs angusta conditione afflictis, ea obijciuntur & exprobrantur studia, propter quæ in præsentem deuenerint conditionem: vt illud,

En agros, & quam bello Troiane petisti
Hesperiam metire iacens. Vergil. Æneid. 6. j.

Quæ si fuerint vitiosa studia aut ambitiosa cœpta, quamquam afflictis & laborantibus obiicere inhumanum ducatur, tamen minùs intolerabile, quàm si pia, religiosa, simplicia, & nemini mortalium grauia, damnosa, aut importuna, immo boni potiùs extiterint exempli. Summæ enim peruersitatis ma- Iudicium
litia illa est, quæ rem ab exitu notans, etsi natura sua bonam, tamẽ damnat, ex euentu
irridet, atque ex ludibrio interpretatur. id quod Iob ab amicis identidem peruersissimum.
expertus, grauiter dolere solet. Quid enim honestius, vel dictu vel cogitatu pulchrius, quàm si quis totum se Deo diuinæq; prouidentiæ niti profiteatur? tamen & hoc humana feritas, &, quod indignius est, ementita virtutis persona, atque ingeniosa mortalium industria, ad irrisionem & insultationem aduersus probos ac verè pios & sanctos arripit; dum sua vel vitia vel fucatam sanctimoniam potiorem videri, nec vlla reprehensionis parte tangi satagit. Grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam Sapient. 2.
dissimilis est alius vita illius, & immutatæ sunt viæ eius. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris tanquam ab immunditiis, & præfert nouissima iustorum, & gloriatur patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones illius veri sint, & tentemus quæ ventura sunt illi, & sciemus quæ erunt nouissima illius. Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, & liberabit illum de manibus contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum: erit enim ei respectus ex sermonibus illius. *Quid apertius? quid expressius? immò quid æquè vnum sarcasmo illi?* Præteruntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua, & dicentes: Matth. 27.
Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas: salua temetipsum: si filius Dei es, descende de cruce. Similiter & principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & senioribus dicebant: Alios sal-

uos fecit, seipsum non potest saluum facere: si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: confidit in Deo, liberet nunc, si vult eum: dixit enim: Quia filius Dei sum. *Grauissimum autem veræ pietati, atque simplicissimæ veritati, siniſtræ & pugnantis interpretationis telum à mendace & falso iudicio coniectum; ita vt quidquid in se pius vir dictum & actum atque tentatum senserit, æquo ac patienti ferat animo, blasphemiam autem in Spiritum sanctum dictam durissimam sibi atque intolerabilem sentiat, præsertim ab iis, quorum bono studuerit & consuluerit. Quidquid autem* IESVS *in diebus carnis suæ egerat & fecerat, hominum salutis causſa fecerat; fecerat autem beneficia innumera, quæ non humanam, sed apertè diuinam indicabant virtutem & efficientiam. Hæc verò non Deo auctori referre, indignum ausum, summumq; iudicauit nefas; quod vt auertat, atque humanis dissuadeat mentibus, non cum hominibus, verùm cum Deo ipso, tanquam vero auctore atque iustissimo iudice, & sui honoris atque propriæ auctoritatis vindice, agit; remq; ipsam altiùs repetitam deducit & confirmat; nempe seſe Deo carum, dilectum, & susceptum, atque sacratum, sanctumq; prorsus ab initio suæ geneseos ad vltimum vsque spiritum, & vlteriùs etiam constare.*

Grauissimum veræ pietati telum.

Blasphemia in Spiritum sanctum.

Christus Deo sacratus.

10. Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: spes mea ab vberibus matris meæ.

Singularem Dei patris erga se dilectionem & prouidentiam, ab vsque prima quâ conceptus fuerat hora, IESVS *agnoscit; vtpote singulari modo atque exemplo non solùm ortus, sed genitus atque etiam educatus. genitus quidem atque intra materni alui claustra fotus non vllo communi cum cæteris hominibus labore, non matris dolore aut fastidio vllo, qualia cæteris accidunt fœminis; ex illo:* Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios. *At verò vnicus hic Altissimi vocatus filius, qui sanctorum primogenitus idem fuit, sancti Spiritus diuina virtute genitus, nihil ipse originalis contraxit laboris, immò nec potuit contrahere propter purissimam diuini spiritus in materno sanguine efficientiam; nihil etiam doloris aut ærumnæ suæ matri inter mulieres omnes benedictæ attulit, pari integritate in conceptu atque in partu sanctificatæ. Hæc verò omnia arcana atque singularia momenta admirandaq; exempla, vnico vocabulo* NAHH *significanda diuinus Spiritus Vati suggessit. significat autem vox,* NAHHI, quies mea; *cuius vis omnem prorsus motum laboremq; excludit. hoc idem significare voluit Latinus interpres verbo* extraxisti *vsurpato. Nam quod solus Deus extraxit, omnis penitus laboris immune liberumq; euadit. Quæ verò mater diuina efficientia concepit ac peperit, eadem quoque efficientia natum pauit atque educauit; cuius vbera, non ex naturæ sed ex Dei virtute, commodi lactis copia sanctæ etiam suffecerunt. His accedit quoque, quòd statim recèns orto infanti commotæ inui-*

Christi conceptionis singularitas.

Gen. 3.

Virginis partus.

Virginis lac & Christi infantia.

nuiæ periculum, Deo curante ac prospiciente, declinatum ac vitatum fuerit per Iosephum alumnum ab Angelo monitum. Spes mea, BETHAHHI, fiducia mea, ab vberibus matris meæ] AB, *Latina præpositio hoc loco idem valet quod* GHAL, apud, iuxta, & supra. *Nec vero conceptum, educatum, & custoditum solummodo, sed etiam omnibus adumentis, præsidiis, atque adeò ope & officiis, quæcumque ab homine erga fœtum & infantem exigi constareq; solent, sola Dei virtute sese affectum fatetur ac prædicat: vtpote qui ob eam rem, nec excipiente obstetrice aut alia indiguerit ope, sed potiùs omni ex parte, omnibus nominibus, ad crescendum, ad rectè valendum, viuidus, vigens, ac fortis & integer perseuerarit secundùm carnem & humanam quam sumpserat naturam.*

11. In te proiectus sum ex vtero: de ventre matris meæ Deus meus es tu.

ELI *vnum ex diuinis nominibus, quod ad vigorem, fortitudinem & efficacitatem refertur.* Ex vtero] *Nomen* REHHEM *materna viscera primùm, deinde etiam vehementem amorem, qualis matrum erga filios constat, significat. ad vtramque verò significationem verbi Dei caro facti natiuitas & præsentia refertur.* BETEN *verò commune nomen vteri ac ventris, atque etiam interiorum omnium corporis partium, in quibus vitalis collocatur ac versatur spiritus. Hæc igitur singularis prouidentiæ, curæ ac virtutis in tenero infante ab ipsis vsque materni alui primordiis certa ac perpetua exempla magnam etiam caussam, quamobrem edita fuerint, portenderunt, hoc est, magnum laborem; cui præstando perpetuum certumq; experiretur diuinum præsidium, qualemq; nunc iam sibi subitum firmissima victoriæ ac salutis adipiscendæ spe ac voto fortiter sustinet ac perfert.*

12. Ne discesseris à me; quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adiuuet.

Virtutis atque admirandæ fortitudinis à Deo sibi prouisæ caussam iam nunc declaratam refert, ac patri Deo fouendam promouendamq; commendat; videlicet magnam illam arcanamq; Exodum, quem Ierosolymis, hoc est, in altæ pacis visione & perfectione, expleturus & absoluturus fuerat, quodq; in Aegyptiacæ cladis & salutis atque euasionis è mari rubro historia, vt in imagine, constabat relatum. Fuit autem certamen illud maximum, quo sacrosancta Iesu Christi humanitas cum peruersa hominum & corrupta natura conflictata tribus diebus ac noctibus in corde terræ sese validissimè exercuit, ac demum peracto exantlatoq; labore, victoriæ atque æterni supremiq; nominis compos euasit. Quoniam Deus erat in Christo mundum *peruersum destruens, & purum atque ornatum* reconcilians sibi. *In hac itaque susceptæ maximiq; laboris & extremæ pugnæ hora, di-*

Luc. 9. Exodus expleta in Ierusalem.

Christus in corde terræ. *2. Cor. 5.*

UNIVERSIDAD DE MURCIA

uinam opem semper aliàs certam expertus, certissimam experiri se optat, posscit, ac vouet; vtpote dignam, quæ in maximis probetur periculis, in iisdemq; probari consuetam. Quàm verò opportunè & expectet & poscat, laborum expositione suorum declarat, maximorum quidem, atque nullius humanæ virtutis opitulatione sibi vni subitorum. id quod & apud alium Vatem idem ipse Christus narrare auditur; Torcular calcaui solus, & de Gentibus non est vir mecum. *Apud hunc verò hoc in Psalmo ac voto sic:* Quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adiuuet. *Tribulatio summa & arctissima in laboribus angustia Christo fuit, illo temporis momento, quo ipse & mortali excedens vita corporis, mortalem vnà secum victor corripuit, deiecit, atque prorsus extinxit mortem, hostibus cunctis in sui sanguinis baptismate demersis, & consumptis prorsus atque de medio sublatis. Pugnæ porrò atque laboris imaginem sui, translatis ex hostili obsidione verbis depingit aptissimè; quibus inimicorum temeritatem, vires, impetum, furorem, ac pertinaciam, & mutuum ad pugnam consensum exprimit.*

Isai. 63.

13. Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.

Historiæ veritas aperta ac notissima, arcanæ obsidionis & inuasionis præfert imaginem. Scimus IESVM *à Pontificum & seniorum seruis ac ministris & satellitibus magno impetu atque tumultu captum & comprehensum, ligatum atque indignis habitum modis, demumq; ad Pontificum domos deductum, ibidemq; iniquis animis atque insolentibus vexatum contumeliis: tandem prætori Romano, homini infideli, traditum, & ab omnibus communiter ad necem & crucem postulatum. Istorum autem omnium temeritatem, inuidiam, & sæuitiam impotentibus vitulorum insultibus & indomitorum taurorum furori comparat & assimilat: quorum in pugna mos ingeniumq; esse solet, eam animam quam perdere curent, cumprimis vallare atque ambire, euadendiq; locum omnem præcludere; deinde impetu à robustioribus facto opprimere, pessundare, & interficere. hæc ad historiam Christi à Iudæis & Gentibus, militibus inquam Romanorum, ad mortem vsque vexati. Verùm enimuerò, longè maiori labori & importuniori vaxationi adscribendus est ille conflictus insolentiæ ac impotentiæ peccatorum prauæ hominum corruptæq; naturæ, cum simplicissima & innocentissima verbi Dei humanitate & modestissima humilitate atque patientia, dum altera alteri vitam eripere & mortem contendit inferre. Nam peccatorum innumerabilis & impotens copia, qua filius Dei vexabatur susceptâ, vitulorum multorum nomine significatur; vis verò & proteruitas ac vehementia, suiq; conseruandi ac dominationem in carne propagandi auiditas,* taurorum pinguium *siue* BASAN *Vocabulo ad viuum ferè exprimuntur.* Vituli multi] PARIM RABBIM, *à procreatione, & pra-*

Christi agonia.

& propagatione vocantur, PARIM, *quos Latinus sermo* iuuencos *nominat: talis autem fuit immensa illa scelerum & flagitiorum propagatio ex vno primæuæ originis delicto diffusa. Corpus autem ipsum peccati cum præcipuis membris auaritia & ambitione atque libidine*, ABIRI BASAN, validi tauri] BASAN *dictitantur. Pro* BASAN (*qui notissimus & celebratissimus vltra Iordanem saltus atque armentorum fertilissimus est*) *Latinus interpres ad historiæ sensum* Pingues *reddidit, singulari nomine pro communi seruiente per antonomasiam siue Synecdochen. Verùm ad arcanam rationem commodissimè & aptissimè vsurpatum* BASAN, *adnominationem affinitatemq; præfert cum* BASAR; *quod carnem, & absolutè positum humanam significat naturam; vt*, Non glorietur omnis caro. *&*, Omnis caro fœnum. *& quod hæc omnia in arcano secessu comprehendit*, Verbum caro factum est. Basan. 1. Cor. 1. 1. Pet. 1. Iohan. 1.

14. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.

Historia manifesta apud Euangelij scriptores; mysterium Christi testibus & passionum consortibus declaratum. Princeps mundi huius quamquam in Christo nihil haberet, admissus tamen ad postremas tentationes, ingenium, vim, rabiemq; ad summum exercuit, si quo modo vel aliqua parte nocere, vel ipse iudicium valeret euadere. huc illud respicit, Et consummata omni tentatione diabolus recessit ab illo vsque ad tempus. *ad hoc vsque tempus extremorum Iesu Christi laborum. Duplici autem æstu vrgebatur Christus eo tempore, quo generis humani operabatur salutem; altero interni ac proprij amoris & misericordiæ erga homines; altero incendij peccatorum, quod crassissima & acerrima in fœce flagrabat. Vtrumque forti & inuicto animo, tamen tenerrima carne & purissimo sustinebat spiritu, donec proprio alienum illud exterius ascitum vinceretur. Vtriusque æstus & feruoris locus in corde, quod princeps in corpore pars habetur, atque spirituum officina cunctorum dicitur. cuius partis cum vtroque æstu conflictatio, ex imagine ad sensum & ad tactum accommodata iudicatur.* Christi tentationes postremæ. Luc. 4. Christi in passione certamen.

15. Sicut aqua effusus sum: & dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.

16. Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis; & in puluerem mortis deduxisti me.

Summam ac diuinam Christi virtutem, susceptæ carnis infirmitate perfici Deus voluit; atque ita summum humilitatis exemplum, in æternam victoriæ ac publicæ salutis gloriam perpetuasq; euadere in laudes; ex decreto illo: Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Luc. 14.

Ignis natura. tur. *Omnis autem oratio ac significatio hæc ab ignis vi & efficacitate transfertur: quam attentè animaduertere opus est. constat enim duos ignes com-*

Theophr. de igne. *missos inter se pugnare, ac de victoria & internecione contendere: demum*

Christi amor. *vero minorem à maiori superatum, extingui, & consumi prorsus. Christi diuinus amor eam sibi vim, efficacitatem, & virtutem arrogat, de qua*

Deut 4. Heb. 12. Luc. 12. *scriptum legimus,* Deus noster ignis consumens est. *Namque hanc eandem rem significabat ille cùm diceret;* Ignem veni mittere in terram, &

Peccata à Christo suscepta. quid volo nisi vt accendatur? *Peccatorum verò ac vitiorum humani generis natura, teterrima, faculenta, crassa ac sulphurea prorsus censetur; hoc est, ad huiusmodi imaginem sordium refertur. atqui hæc cùm à Christo in arcana Cœnæ sacramento suscepta fuit, admoti ignis incensa calore flagrabat; simul & ipsum qui susceperat suis quoque vexabat æstibus, donec tandem istiusmodi incendium, diuini ignis patientia & virtute correptum & consumptum omnino euanuit, atque in informes tenebras, vnde principium & elementa atque fomenta traxerat, sublatum in nihilumq; redactum de medio commigrauit. (qui legit mysterium intelligito.) Igitur dum illa durabat pugna, Christi spiritus vehementer exercebatur, duplici videli-*

Christi obedientia. *cet accensus igni; altero amoris, patientiæ, atque obseruationis erga patrem perpetuæ, quam aliàs obedientiam dicunt: atque iuxta vtriusque*

Diuini amoris victoria. *æstus, impetus & motus diuersos diuersis idem orationibus lingua interprete efferebat; efferuescente nimirum alieno illo incendio, factus in agone,*

Matth. 26. *orabat, dicens:* Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. *rursus verò meliore superante æstu,* Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. *eodem effatu ad tertium vsque repetito, certissima illa victrix absoluit vox,* Non mea voluntas, sed tua fiat. *quam visi diuini angeli demum excepit exhortatio. atque ita deinde amoris constantem sententiam*

Matth. 26 Luc. 22. *proditori quoque sui ipse vltro occurrens probabat,* Amice, ad quid venisti: Iuda osculo Filium hominis tradis? *Igitur Christi cor geminato conflictatum igni in spiritu & veritate, non secùs atque naturale aurum vehementi multiplicis flammæ vi liquatum visitur, solutum, atque liquefactum, per translationem dicitur.* Factum est cor meum tanquam cera liquescens] *Vox* tanquam *non rem ipsam, sed imaginem similitudinemq; affectus & patientiæ significat.* Cor meum in medio ventris mei factum est, *in naturæ suæ ratione,* tanquam cera liquescens *in sua natura. Quid verò in cæteris corporis partibus patiar ac sentiam, ex eadem ignis in fictilibus animaduersa similitudine declaratur; quæ resolutis & efflatis per ignis vim humoris spiritibus, arent, siccantur, & excoquuntur; non iam argilla aut creta, sed vel testa, vel, si vlteriùs etiam exurantur, pulueres & cineres vocanda.* & in puluerem mortis deduxisti me] *Cùm ad extremum vsque fictilia decoquuntur, colorem inducunt qui magis arenam aut puluerem quàm cretam vel argillam refert; atque similem in conditionem, carnem, ossa, pellem, omnesq; corporis sui partes deductas ait. id quod iuxta vniuscuiusque generis naturam fuerit*

rit accipiendum: ita vt idem Christi humanitas in spiritu ac veritate sen-serit, quod aurum & argilla vehementissimo igni correpta, si sensu vte-rentur, sentirent atque indicarent. In medio ventris mei] *In animalis corpore caua illa pars quam vitalia occupant membra, Græcis* θώ-ραξ *siue* ὄλμος *vocata, in sacra lingua* MEGHAH, *dicitur, pro qua La-tinus interpres plerumque reddit* venter: *atque hoc tropo, id quod de suis passionibus hactenus Christus narrauit, ad internos affectus præcipuè re-ferendum indicat. Nam quæ incommoda in imis visceribus quispiam sen-tit, nemini alij mortalium perinde nota sunt atque ipsi qui sustinet.* Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? *Illud verò,* sicut aqua effusus sum, *in sacra lingua magis ad naturæ vim exprimitur, in qua nomen* MAIM *dualis perpetuò numeri auditur. id quod non rarò etiam Latinus obseruat interpres; vt in illo loco,* Omnes sitientes venite ad aquas. *Quid verò* MAIM *nomine significetur, in Naturæ historia prolixius declarabamus; nempe duos liquores esse, quorum mixtione varia, omnium compositorum sub cælo corporum natura constat; alterum pinguem, salsum alterum: hunc igni inimicum & exi-tialem, illum verò amicum & proprium pabulum, quem, quandiu cum sal-so est, cùm commodè corripere atque vsurpare non valeat ignis, caloris vi ac spiritu primùm se iungere laborat: seiunctionis opportunitas liquatio-ne paratur; quam statim ab initio molitur ignis. Huiusmodi igitur vtriusque incendij siue ignis in se vim atque efficientiam sentire Christus ait; primùm liquationem atque effusionem virium, non secus atque duorum liquorum, hoc est,* MAIM *siue* aquarum; *quam effusionem, ossium om-nium siue luxationem siue separationem consequi necesse est: quorum com-pago, certo glutinosi ac salsi liquoris temperamento neruis ac iunctu-ris ad-hibito, consistit ac retinetur; eodem contrà sublato, soluitur. id quod in corpore, præcipuè verò in spiritu suo, pati ac sentire se Christus ait præ summæ charitatis vi, atque præ nimia etiam peccatorum incendij vltra omne exemplum vehementis acrimonia.* dispersa sunt omnia ossa mea] VEHITHPAREDV, *verbum reciprocum, quod mutuam inter se laxationem & solutionem significat: qualis in luxatis deprehenditur; siue luxatio ex nimio calore, siue ex frigore nimio, vt aliquando, siue vt plerumque ex redundante acciderit humore. Itaque tota hæc translatio ad ignis naturam vim atque efficacitatem, examinanda est, vnà cum con-sequentibus exteriorum corporis partium symptomatis, habitu, ac signis: qua-lia sunt;* Aruit tamquam testa virtus mea. *Internos animi atque cordis vitaliumq; membrorum æstus, cutis rigens habitus & linguæ siccitas produnt: qualia in iis deprehenduntur, quos vehementior exurit febris, maximè verò quos ad extremum vexat, sudoris loco non guttas aut humo-rem, sed tenue quoddam excrementum, cineris aut minutissimæ arenulæ instar, ex cute remittentibus; quo tempore ab imperitis etiam & vulgo su-premæ sorti indicantur vicini.* & in puluerem mortis deduxisti me.]

1. Cor. 2.

Venter.

θώραξ.

ὄλμος.

Aquarum genera summa. Isai. 55.

Ignis.

Ossium compago.

Corpus & Spiritus Christi in passione.

Luxationis causſæ.

Morti proximis qualis sudor.

me.] THESAPHETHENI, parasti me. *Translatio ab ollis vel testaceis vasis igni adpositis & ardore incensis; quæ nigrum colorem, tum ex se ipsis remisso spiritu, tum ex flamma atque fumo, inducunt: atque ita idem verbum bis cum nomine* ZZIR ollam *vel* cacabum *significante inuenitur. Itaque grauissimo incendio correpti, atque vehementissimo æstu vexati, cùm corporis tum animi imaginem atque habitum tota hæc descriptio repræsentat. Huius verò durissimæ excruciationis & affectionis quosnam & quales quantósque sortitus perferat ministros, cuestigio indicat.*

4. Reg. 4. Ezech. 24.

17. Quoniam circumdederunt me carnes multi, concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas & pedes meos.

Ministri Christi passionis qui ac quales.

Inimicorum Christi duo genera.

Inimicorum, quibus ministris tantùm vexatur & exercetur, ingenia, vires, animúsq; impulsum & impetum, insolentiam denique narrat ad laboris & patientiæ suæ amplificationem. Duo autem genera inimicorum, sibi infesta distinguit, alterum canum, *alterum* malignantium *vocabulo indigetat. quæ si ex historia denotentur, gentium fuere cohors, militum inquam Romanorum, qui ex mixta colluuie tum Italorum tum cæterarum gentium colligebantur; & Iudæorum, qui primi captionis ac vinculorum, damnationis, accusationis, denique postulationis Christi ad supplicium auctores, atque aliis ad nocendum & insolescendum impulsores fuere. hos enim* MERAGHIM, *id est,* malos auctores, *illos* KELABIM, canes, *vocat. Ab vtrisque autem sese iniuriis, contumeliis, & ludibriis, plagis, vulneribus, atque opprobriis, denique supplicio affectum clamat. id quod factum apud Euangelij scriptores constat: qui veram publicè ac palàm peractæ & spectatæ rei historiam narrantes, arcanæ etiam vexationis & afflictionis Christi imaginem contemplandam proponunt. quam spiritus diuini consortes & mysteriorum compotes agnoscunt; cernentes, videlicet, duo summa peccatorum & scelerum capita, quibus Christi spiritus ad expiandum susceptis, vallatus, ambitus, ac vexatus fuit: vnum quidem eorum, qui nudè ac simpliciter, impudenter ac palàm corruptis agunt moribus, canumq; instar vitam degunt: alterum eorum, qui virtutis, pietatis, atque honestatis ementita specie, tum ipsi improbè viuunt, tum verò alios qui suas non agunt partes, acriter insectantur, infestant, & vexant, callidiq; consilijs & occultis prosequuntur dolis ac malis. His itaque peccatorum vtriusque generis capitibus & frequentibus copijs ad expiationem sibi susceptis, & in arcanam pugnam concitis, diuexatum, pressum, multiplicíq; incommodo atque immenso labore tentatum, denique ad crucem vsque deductum ac morte affectum, narrat Christus.*

Peccatorum genera duo.

MAZZORETH liber.

Foderunt manus meas & pedes meos] *Antiquissimæ lectionis testes & indices, quorum opera* MAZZORETH *liber circumfertur, duas in hoc loco lectiones*

ctiones adnotant, easdemq; simul componendas asseuerant, CHARV, id est, Foderunt, CHARI hoc est, vt leo. Leones autem viribus & impetu vltra cæteras feras vehementissimos accepimus, vnguibus verò tum durissimis tum acutissimis, & ad vulnerandam, figendam, retinendamq; prædam firmissimis valere. Clauorum igitur, quibus cruci Christus confixus fuit, cùm rigidam ac tenacem vim, tum verò acutissimam penetrationem, vulneribus à leone illatis declarat persimilem; atque animi eorum qui facerent, sæuitiam, crudelitatem, & feritatem notat pariter. Foderunt sicut leo manus meas & pedes meos: CHARV, perfoderunt, confixerunt. Crucis claui.

18. Dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi verò considerauerunt & inspexerunt me: 19. diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

Dinumerauerunt omnia ossa mea] *Non quòd illi curiosè dinumerarint, sed quod ita distenderint, vt ab eodem qui pateretur sensu ipso dignosci ac dinumerari possent. Præ partium ac iuncturarum distentione ac dolore, omnibus, inquit, corporis membris & articulis ita doleo, vt numerare & indicare singillatim velim, certè possim. Hanc interpretationem verbum ipsum primæ personæ postulat* AZZAPER, numerabo, numerare possum. *Hispanicè cùm quis toto dolet corpore affectum sensumq; suum persimili eloquitur tropo*, No tengo hueſſo que bien me quiera. *Extremæ verò crudelitatis argumentum est, alterius incommoda ac tormenta non modò attento & quieto spectare sensu ac vultu, sed etiam cum voluptate ac hilaritate ad proprium commodum abuti. id quod aduersus inimicissimos & infestissimos hostes factum minùs habetur humanum, nedum aduersus eum, quem beneficum ac de compluribus bene meritum fuisse constiterit.* Ipsi verò considerauerunt & inspexerunt me, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem] *Quos vel innocentis tot modis indignè afflicti, tot plagis tamq; immanibus affecti cruciatibus, commiseratione tangi, ac præ misericordia turbari oporteret; tamen integro sensu atque attentis oculis ita laborantem & cunctis è partibus dolentem afflictumq; intueri nō piguit: immo, quod extremā sæuitiā arguit, viuente atq; videnti me, de meis cogitare, agere, ac decernere spoliis, atq; otioso animo decernere de vestimētis diuidendis, ac tunica, quæ diuidi commodè nō poterat, sortis arbitrio cui contingeret committenda. Quæ omnia quamquam in Dauidē per figurā ab inimicis vexatum conuenire possint, præter cruciatus & clauorū vulnera, tamen reapse & verè ac simpliciter in Christi passione & morte edita & manifestè fuere spectata.* Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius, sortem mittentes: vt impleretur quod dictum est per Prophe- Ossa dinumerare. Crudelitas extrema. Christi vestium sortitio. *Matth.27.*

tam dicentem: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super veste meam miserunt sortem. Et sedentes seruabant eum. *Hoc postremum cum illo conuenit*, ipsi verò considerauerunt & inspexerunt me. *Quemadmodum verò narratio hæc communis ad occultos Iesu Christi inimicos, id est, ad canes & malignantium concilium arcanè referatur, facile fuerit iis qui viam Domini edocti sunt, intelligere; cæteris verò omnibus quamlibet ingenio ac literatura præditis, non parùm difficile: mysticam enim Iesu Christi vestem, quam vnicam ac simplicem esse Deus voluit, potiùs vnicuipiam sorte obuenire sinet, quàm iis qui discindere contendunt permittet: quamquam cæteras quæ corpus non ita proximè contingunt, partiri & certis quibusdam vsurpari patiatur; quales sunt Lex & Prophetæ. Igitur cùm nullum prorsus in hominibus humanisq; rebus Christo auxilium, nullum præsidium, nihil denique opis constare possit, ab illisq; potiùs tentamenta, certamina atque incommoda proficiscantur omnia, reliqua demum fuerit diuinæ virtutis & voluntatis tutela: quæ cùm numquam piorum generi in magnis durisq; rebus & in difficillimis temporibus defuerit, huic innocentissimo & piorum omnium virorum vltra omnem comparationem pientissimo ac diuinæ voluntati obsequentissimo adfutura creditur, speratur, & prædicatur, prædicata etiam certo & constanti animo ac voto poscitur.*

Christi vestium mysterium.

20. Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me: ad defensionem meam conspice.

Christi passionum spectatores.

Iesu Christi tentationes, certamina, & exercitamenta aliis alia mente spectantur, tenebrarum principi, vt aduersario, & canum atque malignantium spectatori; peccatis ipsis cum quibus pugnatur, vt hostibus infestissimis & sese tueri ac defendere contendentibus acerbissimeq; dimicantibus; iniquorum hominum turbæ, vt aduersarij militibus plaudentibus atque insultantibus; piorum gregi, quamquam mærenti ac dolenti, sibi tamen magis metuenti quàm laborantem iuuare aut leuare valenti. solus atque vnicus misericors atque efficax Deus eo modo spectat, quo aduocati auspices & promotores ac patroni commissis ac fidei suæ creditis viris in magno ac durissimo certamine adesse & opportunè opitulari, suæq; partis honori ac decori consulere consueuerunt. Tu autem Domine] *Vox*, autem, *exceptionis officio in hoc versu fungitur. Cùm nullum mihi aliunde suppetat auxilium, tuum vnicum*, Ô IEHVEH, *misericors & efficax numen, mihi adesse ac præsto esse spero & posco. concordat cum illo*, Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear. *id ipsum Christus hoc loco sentiens opportunissimè poscit, cùm ad extremum cum peccatoribus peccatisq; omnium, victor demum euasurus, conflictatur.* Ad defensionem meam conspice] *in exemplari lingua petitio hæc nomine* ELIOTHAI *inuocandi casu adnectitur; significat autem idem ferè quod apud nos* vigor, robur, præsidium

Psal. 15.

dium meum, in auxilium meum conspice, HHVSSAH, Senti & propera, festina; *idem verbum aliàs interpres noster vertit*, ne moreris. *Psal.70.*

21. Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam.

Hic manifestè mysterium agitur, quod quamquam reuelare minùs valeamus, non indicare tamen non possumus. Christus hoc loco percutientis Angeli respicit historiam, qui media nocte per Aegyptum transiens, inimicorum primogenitos aboleuit cunctos; id quod Israelitis solemni monumento celebrandum & recolendum mandabatur. Victima, transitus Domini est, quando transiuit super domos Israël in Ægypto, percutiens Ægyptios & domos nostras liberans. *Idem namque Pascha, idem Phase, ab vno Christo in spiritu & veritate peractum atque adeò absolutum fuit, suam ipsius animam inter verè arcanos Aegyptios atque veros Israëlis filios redemptionem pro multis ponente, & percutientis angeli ministerium, operam, atque transitum sustinente, nec non & gladij plagas in Aegyptios, quos etiam repræsentabat; sentiente quidem, & propter delicta nostra vulnerato, ac propter peccata nostra attrito, non tamen in morte cum Aegypti primogenitis relicto, sed ab arcano illo percutientis gladio singulariter liberato, atque vitæ caput Israëlitarum primogenitis constituto.* Traditus *enim* est propter delicta nostra, διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν, & resurrexit διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν, propter iustificationem nostram. *Id igitur, quod verè euenturum Christus vt homo sperat, patrem Deum, vitæ caput, fontem & auctorem, instanter & patienter poscit.* à framea] *à gladio*; MEHHEREB, à gladio percutientis, & de manu canis. *communem Dei & generis humani inimicum, suumq; insectatorem seuissimum Satanam siue Diabolum, canem vocat; vtpote inuidiæ parentem; quo præcipuo vitio canum notatur ingenium.* Inuidia *enim* Diaboli mors introiuit in orbem terrarum. *cuius etiam impulsu atque opera Iudæorum populus & Pontifices tanta exarserunt inuidia, vt innocentem ac publicè bene merentem,* Gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum, IESVM *tradiderint.* Sciebat enim [Præses] quòd per inuidiam tradidissent eum. *Itaque canis inuidia, Christus à Iudæis, à mundi proceribus & sapientibus oblatratus, vexatus & multifariam insectatus, deinde damnatus & in mortem traditus, post hæc verò cognito salutis publicæ mysterio, serò iam frustraq; Præsidis intercedente vxore, vt morti subduceretur petitus; quod vbi minimè succesisset, tum demum insana rabie variè indignis modis acceptus, percussus, irrisus, & illusus, atque ad patientiæ tædia irritatus,* Descendat nunc de cruce, & credimus ei. *Denique crudelissimè sauciatus, & felle, vino, aceto, myrrha, amarissimis potionibus, ad mortis augenda tormenta exacerbatus; vt vnica anima, animarum omnium sanctissima, ab vnico illo inuidorum inuidentissimo cane*

Angeli in Aegypto percutientis mysterium. *Exod.12.*

Rom.4.

Diabolus canis dictus.

Inuidia diaboli. *Sapient.2.*

Iudæorum inuidia. *Matth.20.* *Matth.27.*

Ibid.

UNIVERSIDAD DE MURCIA

vnicè & singulariter vltra omne crudelitatis vexaretur exemplum.

Christi anima Vnica cur dicta.

Vnicam meam] *Singulorum hominum singulæ animæ singuliq; sunt spiritus; verùm nullius anima propriè* IEHHIDAH, *id est,* vnica *dicitur, præterquam eius, quem* præ filiis hominum *speciosum forma Spiritus sanctus prædicat & celebrat. illa enim naturæ sanctitate & puritate animabus cæteris tantum præstat omnibus, quantum id quod perfectè & absolutè plenum est, iis quæ prorsus inania sunt, antecellit. quibus etiam & id præstat, vt ex inanitate ac tenebris ad plenitudinem perficiendis virtutem abundè sufficiat.* De cuius plenitudine omnes accepimus, & gratiam pro gratia. *Vt autem Iesus, cùm iam omnia quæ de se scripta erant absoluisset, suum in patris Dei manus commendauit spiritum; ita etiam propriam atque vnicam animam, diuinæ aduersum rabientis canis potestatem reddit & commendat tutelæ.* Manus *potestatis & copiæ significationem præbet, vt in sacro indicatur Apparatu: de quare Christus idem:* Hæc, *inquit,* est hora vestra, & potestas tenebrarum. *Quæ nisi diuina virtute effringi non potest, virtute, inquam, diuina, lucem à tenebris dirimente.*

Iohan. 1.

Manus.

Lib. Ioseph Luc. 22.

22. Salua me ex ore leonis; & à cornibus vnicornium humilitatem meam.

Leo.

Rhinoceros.

Duarum præcipuè ferarum notissima celebratur & habetur feritas; leonis, cui in cætera animalia ferè omnia, præcipuè verò in mansuetiores quadrupedes, regnum vel potius tyrannidem naturæ peritiores tribuunt; & rhinocerotis, qui tantum capitis vi & impetu valet, vt vel magna taurorum corpora propellere & in altum pilæ instar iactare dicatur. Leonis autem ad nocendum facultas vnguibus ac dentibus adscribitur, eaq; ad violentiam propriè refertur; rhinocerotis verò industria omnis in capite, fronte, & ori proximo cornu ponitur: eademq; alteri parti humanæ malitiæ comparatur, hoc est, calliditati & astutiæ atque simulationi: quæ quamquam ex corde proficiscantur, non tamen perinde manu, atque vultu, ore, eloquio, & nutibus ad nocendum efferuntur. ideoq; cornu non omnis, sed rhinocerotis secundùm os prominentis, referunt imaginem. Igitur leo eorum qui apertè ac simpliciter nocent, quales Tyranni, principes, & impotenter ac nequiter peccantes; rhinoceros verò industriorum, ac dolosorum simulatorumq; præbet imaginem: cum vtraque autem malorum parte à se susceptæ & subitæ, durissimum negotium & vehemens colluctatio Christo fuit; dum vnumquodque genus tueri sese ac propugnare, defendere, atque adeò à morte propria vendicare contendit; atque ambo pariter laborem, fatigationem, & pressuram augere ad extremum vsque certant, vt vel propositi mutationem infirmo secundùm carnem moliatur, patientiamq; imminuat; vel perseueranti mortem perquam acerbissimam reddat. Leo *singulariter exceptus Tyrannidis vim significat, quæ sæpius ab vnico in multos exercetur homines:* Vnicornes *verò multitudinis numero pronuntiati calliditatis notant partes, quæ plerumque, immò semper,*

Leo violentiæ symbolum.

Hypocrisis rhinocerori comparata.

per, non vnius tantùm sed plurium coactis & coniunctis consiliis, atque collatis commentis & sociatis operis, ad rerum suarum constituendam summam abutuntur. Atqui arcana rei significatio ipso subindicatur nomine REMIM, Rhinocerotum, *siue* vnicornium, *vt interpres noster vertit, quòd id animal vnicum supra nasum cornu sit à natura præditum. est autem nomen* REAEM *affine valde atque adeo ijsdem constans elementis cum verbo & nomine* RAMA, *quod fallere, decipere, dissimulare atque imponere significat, pluraliter* REMIM *pronuntiatum. Latinus interpres verbum* GHANITHENI, exaudi, *siue* excipe me, *vt nomen legit & reddidit* humilitatem meam: *quòd ex eodem verbi themate* GHANAH *deducantur* GHANITHAH, exaudi, *&* GHANVATHAH, humilitas. *Ab iis itaque, quorum caussa, apud quos, & à quibus tantum subierit, acceperit, ac pertulerit laboris Christus, liberari, & propositi certaminis compos ac victor euadere, Deum patrem præsidiumq; suum poscit. cuius opitulationis beneficium perpetuæ laudis & gratulationis munere exoluendum vouet, cum assidua commemoratione ad piorum instruendos & fide atque spe amplificandos animos. omnium enim honestarum petitionum argumenta & exempla, similibus grati animi pollicitis iure absoluuntur & perorantur. est autem huiusmodi prima voti obligatio.*

23. Narrabo nomen tuum fratribus meis; in medio Ecclesiæ laudabo te.

Salutem, vitam, victoriam, & victoriæ debitam gloriam, diuinæ virtuti, efficacitati, voluntati, & benignitati acceptam referendam suscipit & pollicetur; atque sese fratribus suis, quos videlicet sanguine suo Deo & Patri filios acquisierit adoptandosq; tradiderit, narraturum: id enim Christus antiquum ac proprium semper obtinet, vt nihil eorum quæ in diebus carnis suæ viuens gesserit, vel eorum quæ moriens confecerit & consummauerit, quæq; postea è mortuis redditus atque extans perfecerit, constituerit, & firmauerit, priuatè ac singulariter sibi arroget; sed omnia in vniuersum ad Patris Dei auctoritatem, & benignitatem, misericordiámque referat; vsque adeò in hoc proposito constans, vt vel bonitatis elogium, quod sibi vt homini quamquam dignissimè deferebatur, tamen vni diuinitatis naturæ & veritati summæ adiudicarit. Quid me dicis bonum? *Luc. 18.* nemo bonus nisi solus Deus. Nomen *virtutem, auctoritatem, & efficacitatem interpretamur.* Fratribus meis] *quos multos in gloriam ille adducturus erat, illis illorumq; vnicuique singulariter, vtpote paternæ misericordiæ atque efficientiæ erga se compotibus & veracissimis testibus, nomen Dei se narraturum vouet; laudes verò non solùm sanctis, quos potiore iure* fratres *appellari conuenit, vtpote nominis diuini cognitione auctis; verùm etiam omnium fidelium etiam infirmiorum cœtui ac multitudini, ad fidem, spem, & perfectorum donorum postulationem suadendæ*

Christus Patris gloriæ procurator.

Nomen Dei.

dendæ & excitandæ. In medio Ecclesiæ laudabo te] Nomen Dei secretius aliquid & magis arcanum quàm laudis nomen indicat. Nam Laus generale & commune vocabulum est, atque omnibus vel minimis Dei operibus tribuendum. Laudate Dominum de cælis, &c. Quæ in illo carmine ad laudes cientur diuinas: nomen verò præcipuè diuinæ misericordiæ suprema respicit beneficia, S. S. E. Quid facies magno nomini tuo? Ita etiam verè, propriè, atque ἀντονομαστικῶς, noui testamenti sancti ac selecti, Spiritusq; primitiis donati homines, fratres vocantur Christo, Deiq; filij dicuntur; cum antiquos vltra seruorum nomen nihil familiarius audire obseruemus. Ecclesiæ autem nomen & titulus in terra non sanctiores tantùm, sed infirmiores quoque complectitur, apud quos infirmiores res quamquam nomen illud arcanum & efficax Dei non adeò apertè cognoscatur, propter conditionis infirmitudinem, Laudes tamen innotescere, celebrari ac frequentari, dignissimum opportunissimumq; semper fore ex illo docemur: Omnis spiritus laudet Dominum. id quod vt omnibus tam spiritualibus quàm animalibus adhuc (vt ita dicamus) hominibus commune & ad excipiendum habile est, ita cunctis palàm communicaturum sese pollicetur ac recipit: In medio Ecclesiæ laudabo te] in frequenti hominum cœtu medius ipse vt ab omnibus audiar. Atque ita se Christus Ecclesiæ interesse profitetur, vtrumque agens, tum diuino narrando & aperiendo nomine, tum laudibus etiam celebrandis, pro eorum quibuscum agit conditione & captu: sunt enim qui beneficium mortis ac resurrectionis Christi penitùs teneant & agnoscant: sunt alij qui ex historia euangelica credentes admirentur & celebrent. Promisse porrò prædicationis ac laudis argumentum, modorum ac rerum verborumq; certo exemplo meditatus, exponit & indicat: id quod ad doctrinæ vsum & studium commodissimo operæ pretio interdum fieri solet. Conuocatos itaque ad nominis diuini cognitionem atque laudis Dei celebritatem quali sit oratione edocturus, & ad gratulatoriam supplicationem adhortaturus, exponit: nempe illa,

Laudes Dei.

Psal. 148.

Iosue 7.

Noui testamenti sancti fratres Christi dicti.

Ecclesia ex sanctis & infirmioribus.

Psal. 150.

Christus Ecclesiæ interest.

23. Qui timetis Dominum, laudate eum: vniuersum semen Iacob glorificate eum: Timeat eum omne semen Israël.

Diuinę notitiæ & cultus gradus tres.

Ex antiquæ disciplinæ monumentis & reliquijs accepimus notitiam cultumq; Dei apud tria hominum genera viguisse, non apud omnes æqualem, sed pro doctrinæ elementis forma & vsu variam: Vnum enim genus habebatur eorum, qui ex communibus beneficiis diuinis apud mortales constantibus Deum cognoscebant, & pro temporis atque loci ratione, more ac ritu colebant. qua conditione Iobum Iobiq; amicos fuisse accepimus. Alij verò vltra istos maioris iam doctrinæ elementis imbuti, & fide clariore instructi, atque adeò peculiaribus affecti beneficijs, amplius & clarius de diuina

uina natura, prouidentia atque efficientia senserunt, egerunt, atque suos instituerunt familiares & amicos; vt Iacobus, quandiu eum vel domi apud parentes educari, vel fratris metu exulem in Mesopotamia hærere ac versari, ætas, res, tempusq; tulit. at verò eundem à Labani soceri insidiis & affinium inuidia incolumem, pecore & auro locupletem, nullius egentem, demum etiam ex nocturna lucta victorem Israëlis perpetuo nomine auctum & celebrem factum, longè etiam maiore ac singulari diuinarum cognitione rerum & misericordiarum certissimum se profiteri oportuit prædicatorem atque testem, & melioris notæ atque conditionis consortes omnes, qui sese deinceps imitarentur ac referrent, suos appellare decuit. Adistarum itaque trium conditionum instar, triplex piorum apud antiquos celebratur ordo; primus communior ac latior locis, numeroq; frequentior, eorum qui vel ex naturæ disciplina, vel quocumque alio nomine, verum Deum nouerint & coluerint, ob eamq; rem Dei timentes audierint. vt, Vir erat in terra Hus, nomine Iob, vir simplex & rectus & timens Deum. Secundus eorum, quibus Dei cognitio ac timor & obseruatio ex domestica disciplina per fidem recepta ac suscepta fuerit, vt Abraham, Isaac, & Iacobi, tum ipsiusmet tum liberorum ante reditum ex Mesopotamia in Bethelan. Tertius verò Iacobi ipsius, mutato iam nomine & in Israëlem amplificato, ac filiorum illius, qui paternam fidem tenentes nomen etiam ritè ac dignè tuerentur, ex illo tempore quo primùm correpti & ad vitæ & pietatis sanctiorem formam instructi fuerant. Iacob verò conuocata omni domo sua, ait; Abiicite Deos alienos qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra. Surgite, & ascendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo: qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & socius fuit itineris mei. *Ex quo tempore familiæ illæ Israëlis cognomento nobilitatæ, Iacobi nomen ad priscinæ tantùm conditionis, hoc est, ad secundæ classis ordinem commemorandum opportunè atque ex occasione tantummodo vsurpatum auditur. vt in illo,* In exitu Israël de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro. *Aliàs autem triplex ordo Iacobi, Israëlis, ac timentium Dominum, in tria concedit nomina;* Domus Israel sperauit in Domino. Domus Aaron sperauit in Domino. Qui timent Dominum sperauerunt in Domino. *quæ sic euestigio repetuntur,* Benedixit domui Israël, benedixit domui Aaron, benedixit omnibus qui timent Dominum, pusillis cum maioribus. *Igitur Christus eandem illam antiqui ordinis imaginem ad suarum partium veritatem publicè ac palàm sibi in spiritu & efficientia referendam pollicetur, omnibus posteritatis ordinibus conuocandis & ad communem supplicationem laudumq; celebritatem inuitandis & instruendis, quantum vnusquisque suo in ordine & loco præstare valeat ac debeat. id quod distinctis expolitur verbis;* Qui timetis Dominum, *quocumque sitis loco,* Laudate eum. Vniuersum semen Iacob, *priuatæ adhuc & communis conditionis fideles, qui inter laborem & certamina hominum versati propter gratiam opemq; diuinam minimè*

Iacob. Israël. Timentes Deum. *Iob* 1. *Gen.* 35. *Psal.* 113. *Ibid.* Domus Israel. Domus Aaron. Timentes Dominum.

minimè succumbitis, sed conseruamini incolumes, glorificate eum, KABEDVHV, amplificate eum, *auctorem, curatorem, conseruatorem, promotorem, & amplificatorem vestrum agnoscite, prædicate & honorate, Iacobi videlicet renouantes imaginem, qui ex Mesopotamia in patriam reuertens ita apud Deum narratur egisse.* Gen. 32. Deus patris mei Abraham, Deus patris mei Isaac: Dominè qui dixisti mihi: Reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis tuæ, & benefaciam tibi: minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua quam expleuisti seruo tuo. In baculo meo transiui Iordanem istum; & nunc cum duabus turmis regredior. Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo, ne fortè veniens percutiat matrem cum filiis. Tu locutus es quòd benefaceres mihi, & dilatares semen meum sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest. *Hoc autem frequentissimum genus Iacob nondum ad Israelis amplitudinem peruecti, magnis tamen donis ac beneficiis in spiritu ac veritate prouecti, ad partes etiam vocatur; cui demum & illud aliud felicius collegium adiungitur veri Israëlis victoris posterorum, qui totum quòd eo quo Israël appellantur nomine, diuinæ benedictionis auctoritati & efficientiæ acceptum referre debent. Dixit enim* Ibid. *Iacob:* Non dimittam te nisi benedixeris mihi. Ait ergo: Quod nomen est tibi? Respondit: Iacob. At ille, Nequaquam, inquit, Iacob, appellabitur nomen tuum, sed Israël: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis? Interrogauit eum Iacob: Dic mihi, quo appellaris nomine? Respondit: Cur quæris nomen meum? & benedixit ei in eodem loco: vocauitque Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. *Huius ita amplificati & exornati Israëlis progeniem posteritatemq; omnem, huic soli Domino Deo, soli forti, soli potenti & efficientissimo, reuerentiam, timorem, & obseruantiam, non autem carni & sanguini, debere & præstare oportere ait ad instar antiqui parentis; qui postquam Israëlis à luctæ victoria nomen retulit, neminem præterea metuit mortalium.* Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis? *cui argumento, & illud conuenit.* Gen. 46. Profectusque Israël cum omnibus quæ habebat, venit ad Puteum iuramenti, & mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, audiuit eum per visionem noctis vocantem se, & dicentem sibi: Iacob, Iacob, cui respondit: Ecce adsum. Ait illi Deus: Ego sum fortissimus Deus patris tui: noli timere, sed descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Timeat eum] *Tria sacræ linguæ verba* IARAH, PAHHAD, & GVR, *Latini interpretes in duo promiscuè* timere *vel* metuere *vertunt, cùm tamen inter se differant: nam* IARAH timorem *ex certa & nota ratione profectum atque animi intentione conceptum significat, in quo genere religio ponitur & conscientiæ metus: cuius significationis illud apud Satyricum:* Timere. Metuere.

Quis

Quis metus aut pudor est semper properantis auari.

hoc nomine Iob Deum timens prædicatur. PAHAD *verò ad metum ab externa, vel vi vel auctoritate incussum vsurpatur, vt à legibus, à minis, atque etiam à vehementi aliquo naturæ impetu, qualem fulmina ac tonitrua humanis interdum sensibus & animis afferunt. hunc affectum Latini* terrorem *vel* pauorem *vocant. Nam* Pauor *ab antiquissima lingua ac-* Terror. *ceptum arbitramur,* D *in* R *mutato vt sæpe alias,* PAHHAD, *pauet, inde* Pauor. D. in R. pauor. *Huius exemplum illud aptissimum,* Iurauit ergo Iacob BEPAHHAD ABIN, *per timorem patris sui Isaac.* Gen. 31. *At verò* GVR *non tam metum, terrorem, aut pauorem, quàm magnarum personarum vel rerum admirationem vel reuerentiam; qualem regibus, principibus, magna virtute vel sapientia præditis, atque impensè in nos beneficis, exhibemus. cuius opposita vox apud Latinos,* despicere *vel* contemnere. *Hoc autem verbo vanos & mendaces Prophetas contemnendos decernit Moses.* Per tumo- Deut. 18. rem animi sui Propheta confinxit, & idcirco LO THAGVR MIMENV, non timebis eum; non miraberis aut reuereberis. *Quod verbum hoc locò vsurpatum, Israëlis veris filius vnicum Dominum vt felicitatis auctorem sua, & magnificentissimè beneficum, suspiciendum, admirandum, atque reuerentissimè colendum commendat: quam sententiam & suasionem illud apud Paullum spectat;* Itaque regnum immobile susci- Heb. 12. pientes, habemus gratiam; per quam seruiamus placentes Deo, cum metu & reuerentia. Græcè, μετ' αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας, cum obseruantia & reuerentia. *cuius affectus euestigio ratio subiungitur,* Etenim Deus noster ignis consumens est. *Legitimam verò debitarum laudum rationem, & manifestum ius, singularis beneficij ac communis etiam vtilitatis fidem & spem facientis argumento Christus ipse gratulabundus exponit; admirandam bonitatem Dei ex naturarum ac personarum comparatione primùm, deinde ex actione ac modo circunstantiisq; omnibus, atque demum ex euentu, beneficij magnitudinem diuini commemorando.*

25. Quoniam non spreuit neque despexit deprecationem pauperis.

Vt Deo nihil altitudine & sublimitate comparatur, ita homine Christo Christi humiliatio. *& peccatorum omnium vicem subeunte nihil indicari potest humilius, imò & nihil abiectius, vtpote cuius conditionis vel cæteros homines etiam peccatores tæduerit ac piguerit,* Opprobrium hominum & abiectio plebis *habiti; & tamen,* Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, Psal. 112. & humilia respicit in cælo & in terra? *Christus quidem,* qui non noue- 2. Cor. 5. rat peccatum, pro nobis peccatum factus, *extremum abiectionis locum subiens, idemq; peccatorum ludibrio ac insultationi ante crucem & in cruce expositus; quem nemo principum mundi non modò non respicere, sed nec sui generis aut sanguinis existimare vellet; quem tangere horrerent delica-*

tiores, plagis, probris, & vulneribus plenum, sanguine manantem, denique vermem non hominem dictum; tamen eodem illo in tempore, loco, statu, habitu, Deus non spreuit neque despexit] *prius verbum* BAZAH *despectionem, derelictionem, & abiectionem significat; qualem experimur & notamus erga nullius momenti res, aut nullius frugis capita, vel etiam aduersus eos qui maleficiorum ergò à principibus damnati sunt. Hos enim vulgi ac turbæ inuidia & odium potiùs quàm miseratio consequitur.* SAKATS *verò inhorrere, auersari, ac detestari, vitareq́, Latinè verti potest; atque eadem significatione in* Spreuit *ab interprete nostro versum.*

Reptilium quorũdam tactus impurus.

Atque in reptilium & serpentum natura, certa quædam notantur genera, quorum vel tactus lege etiam vetantur, vipote impurorum, & manus, corpus, atque adeò vestes contaminantium. ea genera communi vocabulo SEKETS *nominata, id est, vitabile, horribile, atque auersabile, siue detestabile: quia quisquis tetigisset, impurus habitus, à sacris ad certum (:piationis tempus arcebatur, vt ex ritualibus constat institutis. In huiusmodi autem conditionis censuram Christi.* IESV *humanitas incidit, publicus hominum susceptis culpis ac noxis, excepti lege vermis nomen vicemq́, sustinens; tamen ab altissimo & purissimo Deo minimè se reiectum gratulatur ac*

Heb. 5. *prædicat, imò vt Paullus ait,* Exauditus est pro sua reuerentia.

Deprecationem pauperis] GHANVATH GHANI, *Vtrumque nomen ex eodem deducitur verbo,* GHANAH, affligere, opprimere, humiliare, *& etiam animi motum lingua interprete efferre. non auersatus est humilitatem, abiectionem, & afflictionem oppressi & egeni. perstat autem in eadem vermis translatione.*

Nec auertit faciem suam à me; & cùm clamarem ad eum, exaudiuit me.

Solent qui fastidiosi sunt, ea genera quæ SEKETS *nominari dicebamus, non modo non tangere, sed nec adspicere quidem velle. Tamen se in illo statu respectum ducit à Deo misericorde & fauente, atq́ susceptam sibi humillimam conditionem probante, clamantem quoque* pro sua *(vt Paullus*

Reuerẽtia εὐλάβεια. *ait)* reuerentia exaudiente. *Namque* εὐλάβεια *apud Paullum ad* GHANAVAH, *id est,* humilitatis, *refertur significationem.* Et cùm clamarem] BESIVGHO, & cùm gemeret *pauper idem: namque* SAVAGH *ad eiulantium & gementium atque dolentium vocem clamoremq́ refertur. Iam verò ita certam sibi Dei opem promittit & sperat Christi humanitas, quamquam eo tempore, quo hæc agerentur, vexata & afflicta, atque ad mortem vsque crucis humiliata, vt omnium à se decantandarum laudum vnicum argumentum illudq́ perpetuum hoc ipsum celeberrimum publicè futurum destinet ac statuat.*

26. Apud te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.

In exemplari lingua MEITHACH THEHILATHI, de apud te laus mea. *Laus omnis mea à te incipiet, te canet, ideò perpetua erit. Iam verò ex hoc loco ac tempore* IESV *Christi afflictionum, passionum, ac maximæ illius susceptæ humilitatis exitus, & caussarum etiam euenta apparere & indicari inciptunt,* κατ' ἐνθουσιασμὸν *in ipso etiam molestiarum ac tempestatis æstu præcepta ac prædicta. Demum verò in sacrosancto Pentecostes die reapse præstita,* cùm dextera Dei exaltatus Christus, & promissione Spiritus sancti à Patre accepta, *donum illud quod vniuersæ nationes viderunt, in discipulos effudit suos, qui omnes variis instructi linguis* repleti Spiritu sancto cœperunt loqui, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, *admirato & stupefacto multiplici illo gentium conuentu, atque ita contestante,* Audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. *Siquidem hæc illa vota fuere, quæ Iesus decretum sibi certamen iam iam subiturus, nuncupauerat, cùm* subleuatis oculis in cælum, dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te; sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. *ac deinceps post pauca quædam,* & nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te. *Rerum igitur, quarum caussa in mundum venerat, compos factus Christus, hoc est, regni Dei suis fidelibus discipulis adquirendi & impertiundi, sua vota in laudibus diuinis prædicandis redditurum se profitetur.* In conspectu timentium eum] *id quod publicè ac palàm præstitum & effectum sacra Apostolorum testatur praxis:* Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt: & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus: Fiebat autem omni animæ timor. *Huius porrò Christi humilitatis, tantorúmque laborum atque victoriæ per mortem denique obtinendæ, atque huius interim precationis & nuncupati voti felicissimus ac planè diuinus euentus spiritu ante visus ac præceptus, ad veritatis fidem ac negotij totius constantem rationem declarandam, firmandam, & comprobandam prædicitur. Nempe fore vt spiritu pauperes, qui Christo crediderint & adhæserint, in parti ac parati regni cælestis consortium adoptati, spirituali atque æterna communione coniuncti, diuinis delicijs ijsdemq; fruantur perpetuis; atque id ipsum donum admirandum q. beneficium mutuæ caritatis ac lætitiæ, communicato inter se & manifesto apud cæteros declarent & probent exemplo.*

Donum Spiritus sancti. *Act. 2.*

Christi vota. *Iohan. 17.*

Act. 2.

27. Edent pauperes, & saturabuntur: laudabunt Domi-

num qui requirunt eum : viuent corda eorum in sæculum sæculi.

Pauperes spiritu.

Pauperes *hoc in versu eos interpretamur, qui Christi patientiam, modestiam, mansuetiq; animi exemplum atque profundam illam humilitatem seriò imitantur:* quoniam ipsorum est regnum cælorum, *illud videli-*

Matth. 11. *cet amplexorum & obtinentium edictum,* Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. *Huiusmodi pauperes spiritu, verè ac*

Iohan. 6. *legitimè* GHANAVIM *vocati, edent epulas illas & cæleste cibum, qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis daturum se illis recepit; tum verò saturati, diuinis commemorandis & celebrandis laudibus operam*

Deut. 8. *ritè dabunt, illud studiosè præstantes,* Cùm comederis & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima quam dedit tibi. *Cuius felicitatis promissæ veritas & in spiritu & in spectato exemplo præstita sic*

Act. 2. *narratur.* Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat qui salui fierent, quotidie in

Euangelij propagatio. idipsum. *Iam verò vlteriùs porrò beneficium illud diuinum, Iesu Christi humilitate atque obedientia partum, ad credentes ex Israëlitis primùm, deinde ad omnium gentium nationes quæ euangelio obaudierint, propagandum fore prædicitur; vt illud verè præstetur, quod multarum gentium pa-*

Gen. 22. *tri Abrahamo fuerat quondam promissum,* Benedicentur in semine tuo omnes familiæ terræ.

28. Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium.

29. Quoniam Domini est regnum & ipse dominabitur gentium.

Gentium vocatio. Act. 2. *Huius etiam loci disertissimus interpres Petrus nobis datus, veram ac legitimam definitionem suggessit:* Certissimè sciat ergo omnis domus Israël, quia & Dominum eum & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis. His autem auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & reliquos Apostolorum : Quid faciemus, viri fratres ? Petrus verò ad illos, Pœnitentiam *(inquit)* agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum; & accipietis donum Spiritus sancti : vobis enim est repromissio, & filiis vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster. *Quod verò ait* Reminiscentur, *id signifi-*

significat videlicet, gentes omnes iam diu sui auctoris principijj, sui immemores, & in varias insanias diuisas, per euangelij doctrinam ad mentem & recordationem reuocatum atque hoc pacto ad salutis viam reductum iri. id quod & Zacharias iam aduentare canebat, Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. *& Paullus Lystrensibus dicebat*, Nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, *&c.* *Neque verò cunctis vel Iudæis vel gentibus promiscuè cælestis regni copiam faciendam constituit ac promisit Deus, sed iis tantùm, qui euangelio vocati auscultare, credere, ac seriò parère voluerint; cæteris verò, qui terrestrem tantùm sapientiam secuti, modestiam humilitatemq; Christi atque sui ipsius abnegationem imitari neglexerint, in peccatis ac sordibus suis hærere, veterascere, & perire, ac tenebras quas dilexerint, perpetuò obtinere eueniet. S. S. E.* Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum. *Vtrorumque variam sortem & vicem hoc etiam prædictam Psalmo cognoscere est.*

Luc. 1. *Actor. 14.* Regnum cœleste quibus promissum. *Luc. 2.*

30. Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ: in conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram.

31. Et anima mea illi viuet, & semen meum seruiet ipsi.

32. Annunciabitur Domino generatio ventura: & annuntiabunt cæli iustitiam eius populo qui nascetur quem fecit Dominus.

Manducauerunt & adorauerunt, *&c.*] *Duo hominum genera siue duæ significantur factiones; altera eorum qui euangelio credentes & obtemperantes hæreditabunt terram: atque hi* DASANEI ERETS, pingues terræ, *dicuntur, translatione sumpta à gregibus, quibus bonus pastor opportunum prouidet pastum: in quos & illud quadrat*, Et pascua inuenient. *Altera eorum, qui cùm sese pastori Christo committere & credere neglexerint, veri pastus defectu terram lingunt; in quam demum corruentes, & vitæ demum vsura atque anima destituti, in mortis tenebras detruduntur. quia lucem & vitam vnde petere & obtinere debebant, admittere neglexerunt. Hi demum alteri euangelij efficacitati cessuri ac succubituri prædicuntur, vt dissimili mente atque animo, ita dissimili cognomento descripti. namque illi* pingues terræ *appellantur, hi verò* IORDEI GHAPHAR descendentes terræ, *nominati, id est, qui terrena tantùm sapientes à cælestibus longè deflectuntur, demum à Christi euangelio deprimendi & in optatum relegandi mortis regnum. Vtramque verò vicem vtriusq; hominum eueniisse, resurrectionem inquam vitæ ijs qui crederent & obtemperarent nuntio gloriæ Christi, damnationem contrà & mor-*

Euangelij effectus in iis qui saluti fiunt & in iis qui pereunt. *Iohan. 10.*

UNIVERSIDAD DE MURCIA

tem ijs qui ex contentione essent asseuerat Apostolus. Christi bonus odor sumus Deo in ijs qui salui fiunt, & in ijs qui pereunt; alius quidem odor mortis in mortem; alijs autem odor vitæ in vitam. *Hæc enim pars, hæc sors corruptæ Adami carnis, & eorum, qui seipsos amantes in humilitate Christi offendunt, inimicig, permanere, quàm verè discipuli fieri optant.* In conspectu eius, LICRAGV, incuruabuntur, genu flectent victi, & corruent omnes qui descendunt in puluerem; *qui ad corruptum Adami puluerem deflectunt, in suum puluerem ex diuina sententia reuersuri, atque animæ suæ exitium paraturi.* VENAPSO LO HHAIAH, anima eius non vixit. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me & euangelium, saluam faciet eam. *Magnum hoc loco mysterium Dauidi indicatum agnoscimus mortis & resurrectionis Christi; cum quo qui commortui fuere peccato, in spiritu & veritate rediuiui simul extiterunt, quia illius semen in ipsis mansit: cuius virtutem seminis quicumque sua culpa non communicarunt, in terram quoque descenderunt; verum quia vani erant, nihilq, ex pinguedine carnis Christi & grani illius frumenti arcani obtinebant, in suum redacti puluerem animæ suæ fecere detrimentum; non coniuncti & resuscitati cum viua illa Christi anima, in quo vera & æterna vita erat, sed relicti in proprij Adamici puluris corruptione, non amplius cum iustis ac sanctis immutandi, in tenebras relegati exteriores; vtpote qui Christi seminis & virtutis participes esse noluerunt, & cadentes in terram, & in ipsa cum felicissimo illo grano commortui, soli atque seorsum quales descenderant manserunt. atque ita incuruati scabellum pedum Christi redditi sunt.* Latina lectio vulgata, quam interpretamur, habet, Et anima mea illi viuet. *Quæ de Christi anima videtur interpres intellexisse; exemplaris verò lectio membrum hoc orationis cum vicino adnectit, atque ad inimicos Christi refert, hoc est, ad eos qui se pulueri commiserunt sine virtute Christi, quorum nullius anima æternæ compos euasit vitæ.* Et anima eius non vixit, *à plurali numero ad singularem immediata transitio communem rationem cum singulari complectitur, atque, vt dialecticorum vocibus vtamur, vniuersalem orationem exceptionis reddit expertem. Hæc enim notissima in lingua sancta passim reperitur obseruatio, vt,* SIMGHV GHAMIM CHVLO, audite populi vniuersique. *id est, populi omnes & singuli de populis. Atque hæc istorum qui se Christi virtuti non crediderint pars calicis fuerit. Eorum verò, qui carni ac sanguini Christi communicauerunt, & afficiendos ac transmutandos commiserunt, qualis & quàm felix decretus & spectandus fuerit exitus, præcinitur; videlicet multiplicationis, amplificationis, atque benedictionis Abrahamo & Abrahami semini legitimo promissæ veritas & constantia, ad omnem temporum posteritatem atque adeò ad æternitatem pertinens, cum agnitione & gratulatione omnium perpetuis laudibus & commemorationibus ac testimonijs celebranda.* Et semen [meum] seruiet ipsi; annun-

Marc. 8.

Commortui Christo.

A plurali ad singularem transitio.

annunciabitur Domino generatio] *Sic hæc connectuntur, & plenum versum constituunt in exemplari lectione: quo docetur atque explicatur discrimen, inter eos qui in peccato ac puluere suo manere optauerunt, & eos qui cùm sese commorituros & conuiuificandos in spiritu & veritate Christi virtuti ac semini diuino commiserint, euasere & ipsi semen Dei;* Qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. *Hi enim dum Deo seruiunt, ex seruis in filiorum nomen & gloriam translati & amplificati, id quod obtinuerint, non humanæ virtuti, non naturæ efficientiæ, sed vni Domino auctori & parenti acceptum referent, nomen, vitam, & sublimem illam filiorum conditionem ac dignitatem eidem soli adscribentes. hoc est, quod illa significatur formula,* Annunciabitur Domino generatio] *Cuius versus lectio planior ex verbo reddita fiet,* ZERAGH IAGHABE DENVLIZZAPER LEADONAI LADOR Semen [quod] seruiet ei, numerabitur Domino in generationē. *Quid apertius? quid cōcinnius cum illo?* Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. *Primos autem in hoc censu Israëlitas fideles fuisse constat, numero quidem frequentes, quamquam non omnes Abrahami filios secundùm carnem, sed eos qui cum fideli Abrahamo seruierunt, quorum opera & ministerio euangelij virtus in omnem terram propagata, multos filios ex Gentibus quoque Deo partos effecit, & in regni cælestis communionem conscripsit. Postremi autem versus initium à postrema præcedentis voce ducitur, quam Latinus interpres vertit in* Ventura. Ventura annuntiabunt [cœli] iustitiam eius populo qui nascetur, quem fecit [Dominus]. *Exemplaris autem lectio ita habet,* IABOVVA IAGIDVTSIDKATHOLAGHAM NOLAD CHI GHASSAH, venient & nuntiabunt iustitiam eius populo nato, quod fecit. *Venturos ait primos ex Dei filiis per Christum adoptatis & in patris domum cum Isaaco vero conscriptis, & nuntiaturos aliis, qui euangelio credentes nascentur quoque filij Dei; atque hoc pacto iustitiam Dei publicè ac palàm constituram, vtpote qui & beneficium tantum generi promiserit humano, & promissum denique præstiterit, id ipsum solus efficiens, quod ipse solus ex misericordia fuerat pollicitus. Iustitiæ verò diuinæ manifestandæ, annuntiandæ, celebrandæ, elogium illud communiter vsurpandum præscribitur,* QVOD FECIT: *id quod auditum* IACOBO MONAVIO *viro pio, cumprimis probo & bonorum amicissimo, gratissimum fore credimus, vtpote hoc idem ipsum suo illo celeberrimo symbolo præcipuè spectanti. Ex antiquoribus Latinæ versionis exemplaribus, atque adeo ex linguæ primæuæ lectione carmine constrictæ, voces illæ in hoc versu,* Cæli, Dominus, *redundare videntur, atque à recentioribus scribis explicationis fortasse causa ex margine in contextum insitæ.*

Ex Deo nati.

Iohan. 1.

Iacobi Monauij Symbolum.

IN

IN PSALMVM XXII.

D. PETRO MVDARRÆ AVELLANEDÆ SALVTEM.



Roposítum istud non solùm laudo, sed etiam tibi gratulor, Auellaneda suauissime; qui tametsi viribus, ætate, specie, opibus, loco, & re, arces magnas, vrbes, aulas, atque regias amantium & colentium perpaucis concedere posse censearis; priuatam tamen, & ab illis ambitionis præstigiis liberam, & pestilentibus curis vacuam, inuidiosaque consuetudine semotam atque insidiis tutam vitam, in minùs frequente sed amœnissimo oppido, ducere decreueris: nempe meliorem longeque iucundiorem conditionem nactus, cum bonis artibus, liberalibus disciplinis, & illarum professoribus ac ministris, bonam dierum atque noctium partem agendi & conuersandi, taciteque eos consulendi, audiendi, & excipiendi, à quibus de veris & optimis atque vnicè expetendis vitæ caussis, accuratè, diligenter, & vtiliter disputatum & pertractatum est. Horum autem sapientiæ sacerdotum grauia ac seria solidaque præcepta, dicta, ac placita, iucundissimis atque elegantissimis poëtarum choris interiectis, ita temperare consueuisti, vt ex vtrorumque vsu & consuetudine, quidquid tu imitari, commentari, & condere instituis, magna & vtrimque pari iucunditate atque vtilitate absolutum, tam austeris quàm facetis lectorum & auditorum iudiciis commendabile & amabile prodeat; atque hoc pacto ac iure consilij tui caussam apud prudentes obtineas iudices; qui quamquam cætera quæ tibi contigerint bona, in huius ætatis aulicis & magnarum vrbium cultoribus quadamtenus reperiri & constare arbitrentur, ingenij tamen magnitudinem, dexteritatem, & exercitationem vel nullis vel rarissimis nostratum nobi-

nobilium tuis consimilem partibus tribuant; ob idque idoneum esse te prædicent, quem in mediis montibus ac siluis longè melior & sanctior spirituum frequentia stipet & comitetur, vtiliusq; detineat & exerceat, puriùs & innocentiùs iuuet, quàm illos, qui in vrbium & regiarum foris, plateis, domibus, vicis, atque etiam campis & ludis turbulentissimè versantur; quos quænam & qualia consilia & facta delectent, eorum quos incitant & instigant, mores arguunt. Macte igitur virtute, atque pietatis veræ cum primis cultor, quam hactenus à pueritia instituisti viam, vulgi contempto iudicio, atque minorum curarum laqueis expeditior, perficere perge. Quod vt libentiùs agas, & constantiùs atque alacriùs prosequaris, Dauidis modos, numeros, & monita, inter opus canens identidem vsurpato: cuius carmen vnum ad propositi istius exemplar nos tui perpetuò memores iamdiu adnotaueramus, quod modò tibi breuiter explicatum præbemus. Vale, ex Rupe nostra Aracenensi. IIII. Non. Septemb. cIↃ. IↃ. XCVII.

ARGVMENTVM.

Sapientiæ, efficacitatis, bonitatis & amoris ea in diuina natura coniunctio est, vt nulla creati intellectus vi & actione vel cogitando diuidi aut separari possit: quippe quæ quatuor, quamquam apud nos numerum admittant, vnũ tamen apud Deum ac potiùs ipse sunt simplicissimus Deus, atque vnico IEHVEH *significantur nomine. quin & eædem ipsæ in cunctis à Deo creatis obseruantur naturis ac rebus, pro vniuscuiusque formæ modulo & captu: præcipuè autem singulariter ac manifestè in hominibus ijs, qui sui principij memores, & quorsum tendant certi, se totos auctori ac Domino seruatoriq; suo regendos credunt, committunt, & tradunt. Huius veræ doctrinæ exemplum perpetua vsura in se spectatum sibiq; agnitum elegantis allegoriæ imagine, paucis quidem versibus, verùm artificiosissimis vt semper aliàs, canens Dauid celebrat. atque ideò Psalmi Inscriptionem sibi priuatè ac peculiariter arrogat.* Diuinæ virtutes siue attributa.

1. Psalmus Dauid.

Psalmi huius non compositionem solummodo, sed argumentum ipsum singulari quodam modo & pacto Dauidi adscribendum Inscriptionis nonnihil variata subindicat formula, cùm aliàs frequentiùs ita le-

gatur, LE DAVID MIZMOR, Dauidi *siue* Dauidis Psalmus: *hoc verò loco permutata nominum positione* MIZMOR LEDAVID, Psalmus [ipsi] Dauidi. *Quod si nominis quoque Dauid animaduertenda sit ratio, vt certè est,* Psalmus [ipsi] dilecto, *interpretari consentaneum fuerit: quippe quo rerum suarum felicitatem, ex Dei amore & beneficio profectam, se ad narrandum & prædicandum suscepisse profiteatur.*

2. Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me.

Pastoralis cura politicæ gubernationis imago.

Pastoralis vtilissimæ in terris curæ imago, iam inde ab antiquis temporibus, ad regendorum rationem & artem populorum prudenter, aptè & concinnè translata, atque à probatissimis auctoribus, præcipuè verò à poëtis, vsurpata frequentatur. vnde & apud Homerū Reges & Principes ποιμένες λαῶν, pastores populorum *identidem salutantur aut appellantur: quippe cuius artis vel ipso tantùm nomine, boni gubernatoris munus & officium non indicatur modò, sed repræsentatur etiam & exprimitur. Vt autem gubernatorum omnium optimus ac præstantissimus, atque adeò vnicum, sanctissimum, summum, incomparabileq; exemplar Deus est (quem qui pro viribus imitantur principes, rectores, ac iudices, merito boni pastores audiunt) ita Deus ipse pastoris nomen, titulum, atque decus proprio ac summo vendicat iure, atque eodem ipso nomine, bonis, probis, & felicitatis propriæ auidis hominibus conditionis ac sortis suæ memoriam renouat, & gratulationem persuadet, ac partes quas obtinere & peragere conueniat, breuiter ac distinctè expeditas indicat. Sunt autem gregis siue pecoris, atque adeò singularum pecudum, partes numero tres, duæ quidem à se cum pastoris ipsius certa ope & gratia præstandæ, videlicet* fides & obsequium: *vna verò, quæ eadem tertia, à pastoris voce ac promisso excepta, & apud se conseruata, cui nomen* Securitas. *pastori verò amor erga gregem, perpetua cura, atque opportuna opera exiguntur. Atque vtrarumque partium, hoc est, pastoris ac pecudis, breuis & absoluta summa diuina illa ad Abrahamum adlocutione continetur:* Postquam verò nonaginta & nouem annorum esse cœperat, apparuit ei Dominus, dixitq; ad eum: Ego Deus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus [THAMIM, Sanus, simplex, & obsequens] *In huiusmodi igitur beati gregis numerum se conscriptum voto atque studio professus & gratulatus Vates noster, qualem erga se tanti pastoris experiatur & agnoscat curam, ex ipso commemorat & narrat vsu, quò cæteros hominum, eos maximè qui subscripta lege deducerentur, ad similis conditionis optionem & communionem atque societatem pelliciat. Primam professionis huius partem fides occupat. Duplex autem ad fidem concurrit persona: altera eius qui cum altero primus agit & conuenit; altera verò eius quicum agitur & conuenitur: siue altera promittentis ac dictantis, & altera promissis affecti & acquiescentis.*

Deus pastor summus.

Gregis partes.

Fides. Obsequiū. Securitas. Pastoris boni partes.

Gen. 17.

Duæ in fide personæ.

vtraque

vtraque autem persona dum sibi suæq; parti constat, seruare siue dare fidem Latinè dicitur; distinctionis verò caussa, alterum recipere, alterum concipere dicimus fidem. Vtriusque itaq; personæ datam acceptamq; mutuò fidem indicat Vates, dicens; Dominus, IEHVEH, regit me. *Domini vel nomen ipsum, virtutem, facultatem, & auctoritatem, atque voluntatem rectoris indicat: vtpote quod ad amorem & misericordiam, bonitatémque præcipuè referatur, atque sapientiam & efficacitatem diuinam pariter includit, & plerumque in his vsurpetur argumentis, quæ humanam respiciunt salutem. Continet autem versus hic dicendorum omnium propositionem, seu potiùs collectionem summam, breui pronuntiatam enthymemate, ex minore siue assumptione & conclusione ipsa concinnato. namque plena & integra argumentatio huiusmodi est: Gubernatum ab optimo pastore pecus beatissimum habendum est: Ego ab optimo pastore, nempe Domino benigno, bono, sapientissimo, & efficacissimo, gubernor; igitur beatum ego sum pecus.* Beati *nomen apud Latinos ei ritè tribuitur, cui nihil desiderandum requirendumq; excipitur: hoc idem in sacra lingua significatur illa formula* LO EHHAZZER, non deficiar, *hoc est, nullo carebo aut destituar commodo: Latinè ac poëticè diceretur,* non egebo. *Interpres noster planiùs,* nihil mihi deerit. *Verbum* Regit me, *ex exemplari* ROGHI *redditum, facilè ad suam primæuam refertur significationem: namque* RAGHAH *in sancta lingua propriè pastorum est, & Latinè vertitur in* pascere; *pascere autem commune rectori & pecori est: verùm quia rectori conuenit, non modò pabulo satiare, verùm etiam pecus deducere, totum rectoris significat munus. Ita Cato consultus aliquando quemadmodum homo diues fieri posset, si quàm optimè pascat, respondisse fertur. Atque ipsum Latinum verbum,* rego, *ab illo primæ linguæ vocabulo* RAGHAH *factum, in posteriorem translationis partem & ius plerumque conceßisse putamus: vt illic primùm pastores pecorum, deinde gubernatores; apud nos, vice versa, gubernatorem primò, deinde verò pecoris magistrum significarit. atque ratio hæc etymologiæ satis iam nobis tractata. In exemplari lingua* ROGHI *Verbum participio Latino præsentis temporis respondens, præsentem semper actionem significat, & præterea nominis obtinet vim;* Dominus pastor meus & pascens me, non egebo, nihil mihi deerit. *Hißanicè ad verbum,* No sere menguado. *Summam autem quam indicabamus modò collectionem pastoralis curæ atque operæ, in seipsum constanter spectatæ, partitione idem ipse qui experitur, explicat, amplificatione confirmat, & expolitione perdocet, ac denique modis & numeris commendat cunctis. Prima autem pastoralis officij pars in pascui loci prouisa cognitione & optione ponitur, vberis videlicet ac fertilis & solo cæloq; clementis, bono & salubri herbarum referti copia. Quam partem erga se abundè & opportunè prouisam testatur Vates:* In loco pascuæ ibi me collocauit.] *Pascuæ locus qualis hic significetur, ex linguæ sanctæ exemplari lectione exprimitur,* BENAAVOTH DESSE IARBITSE-

Beatus.

Pascere.

Catonis dictum.

Pascuorū prouisio.

Naua. BITSENI. in nauis herbæ cubare me fecit. *Fertilissima & opportunissima ad pascendũ loca montibus vicina, nec tamẽ aspera aut salebrosa,* NAAVOTH *vocantur: idemq; nomen, in eademq; significatione Hispanis cum aliquo adiuncto frequens: vt,* naua de Seuilla, naua del mançano, naua hermosa, naua'l peral; *& sexcenta huiusmodi. Narrat autẽ Vates, cumprimis tantam optimi copiam graminis fertili & amœno suffectã loco, vt vagari aut errare quærẽdi pastus causa minimè sit opus: quippe cui vel cubãti & quieto, abundè quod carpere liceat vndiq; salubris herbæ virescat.* DESSE *herbã virentem & pastui vtilem significat: vt ex illo Dei iussu editum constat.* DESSE ERETS DESSE GHESEB. producat terra, *siue* herbificet terra, herbam virentem. *Operæpretium autẽ & nobis & lectori fuerit, translationis siue allegoriæ huius rem ipsam breuiter indicare, atq; ab imagine ad veritatẽ oculos ac mentẽ conuertere, cunctis qui ritè in sẽ deriuare studuerint, magno quoq; futuram vsui. Res igitur sic habet. Vt ouibus & mansuetiori omni gregi, pastio non vtilis modò sed prorsus necessaria est, ea verò sine magistri ac rectoris cura nusquam cõmodè & vtiliter initur; sic & animi humani vita, sine doctrinæ alimento ac pastu, rectè duci & conseruari nequit. animi itaque commoda institutio pastionis instar habet; ea verò magistrum, doctorem, atque ductorem iure exigit. Quælibet autem doctrina siue disciplina, cui sese homines erudiendos & instituendos tradiderint, pastus nomen ratione nemỹ arrogat; sed ea præcipuè, quæ ad sapientiam refertur: sapientiam verò diuinarum humanarumq; rerum notitiam dicimus: cuius præcipuæ partes duæ, veri, & decori cognitio. vtraque animum, cui contigerit, explet ac reficit; modò certa ac legitima constiterit. Hinc adeò illa est in sacris vtriusque testamenti libris verborum huius generis vsurpatio,* pastor, & pascere. Væ pastoribus Israël. nónne greges à pastoribus pascuntur. *Et,* Vidi cũctum Israel dispersum in montibus, quasi oues non habentes pastorẽ. *&,* Petre amas me, pasce oues meas. *Quàm plurimi verò antiquis in sæculis extitere, qui sese tum singulorum hominum priuatè, tum publicè ciuitatum & regionum atque regnorum pastores & gubernatores profiterentur; & ad morum institutionem, regulis ac doctrinis vel à se inuentis atque decretis, vel ex aliorum sententia & disciplina acceptis, vterentur: in quibus tamen nunquam defuisse aliquid, quod improbaretur, vel quod exciperetur aut requireretur, non rarò notatũ fuisse comperias. adeò vt confusis ac permixtis boni maliq; finibus, humanũ genus in tenebris agere, & cæcorum ritu modò vtilia, modò noxia palpare & cõtrectare censeretur: donec diuinæ legis lucerna effulsit, qua verum à falso, iustum ab iniusto, decorum à turpi, & commodum ab incommodo, à facili difficile tum cognitu tum factu, discernere posse, diuino hominibus concessum est munere. id quod intelligens Dauid noster ita sibi quoque gratulabundus aliàs prædicabat.* Narrauerunt mihi iniqui fabulationes; sed non vt lex tua. Omnia mandata tua veritas. *& quæ plurima sæpius in hanc sententiam repetit idem. Totius igitur Psalmi huius argumentum pastoris & pastus*

absoluta

Hominum pastio.

Sapientiæ partes.

Ezech. 34.

3. Reg. 22.

Iohan. 21.

Legis diuinæ beneficium.

Gen. 1.

Psal. 118.

UNIVERSIDAD DE MURCIA

absoluta velatum imagine, beatitatem commendat eorum, quibus diuinæ doctrinæ elementa, & ad animorum salutem & totius mortalis vitæ rectè peragendum cursum, vera & sancta communicata constiterint, susceptaq; fuerint documenta. Cumprimis verò ipsa Ecclesiæ communicatio, in qua Ecclesia pascuæ locus. *veræ ac sanctæ disciplinæ legitima sufficitur copia, amœna pascua herbæ siue locus pascuæ vocatur; vtpote cuius quisquis ritè ac legitimè compos fuerit, aliarum doctrinarum ad salutem & vitam quærendarum atque variis ex locis aut sectis petendarum nihil prorsus egeat; imò loco suo, quo per Deum cubare & quiescere iussus est, abundè quod animum expleat doctrinæ, cognitionis, ac scientiæ nanciscatur. id quod ad illud significanter alludit.* Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm; vt possis dicere: Quis nostrûm valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare positum: vt causseris, & dicas: Quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire & facere quod præceptum est? Sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum. *Deut. 30.* *Diuinorum itaque iussorum & præceptorum copia, cuius vsu humana vita tum priuatè tum publicè alitur ac fouetur, pascuæ locus siue prata herbæ in hac vocatur allegoria; quæ pasci & viuere auentibus abundè sufficit boni ad vitam succi & alimenti.* S. S. E. Custodite leges meas atque iudicia; quæ faciens homo, viuet in eis. Ego Dominus. *Leuit. 18.* *Nec verò pecus hoc, quod pascendum à Deo susceptum est, salubrium aquarum ad potum inopia laboraturum se aut vitæ periculum propter sitim aditurum metuet; cui in ea quoque parte commodissimè & opportunissimè prospectum.* Aquæ pecori insalubres, & salubres. *Duobus autem nominibus pecorum incolumitati officere possunt aquæ, vel si rapidæ nimium sint, discrimenq; se petentibus minentur, interdum verò & exitium pariant; quales acrium fluuiorum feruntur impetu: vel si limo, luto, aut aliquo malo succo aut liquore siue sulphure commixtæ impuriores sint, aut stagnis putrescant, aut ebulliant & manent. quare illæ potissimùm ad ouium sitim leuandam æstumq; sedandum commendantur, quæ & puræ penitus visuntur, & leniter saluberrimæ ac placidæ fluunt. Talium autem aquarum vsuram sibi à Deo prouisam constare Vates ait.* Super aquam refectionis educauit me] *Quas diximus laudandas aquarum commoditates, primæua lingua verba expressè commendant:* GHALMEI MENVHHOTH IENAHHALENI, Secundùm aquas quietationum deducet me. *puras, claras, perspicuas, easdemq; salubres, atque haurientibus minimè graues; imò contrà, leues, tenues, & recreationi idoneas, quietationum aquas interpretamur. est autem* MENVHHAH *vocabulo* NEHHEMAH *& sono & significatione proximum. ita vt aliquando alterum vsurpetur pro altero.* NEHHEMAH *verò* consolatio, NEHHVMOTH, consolationes *Latinè dicuntur. Ait igitur, aquarum sibi non modò opportunam, sed perpetuò commodam, facilem,*

gratam, incundam, eandemq; salubrem à Deo pastore constare vsuram. cuius in hac imagine partis & significationem pariter & rem illam accipimus, nempe rationem præceptorum & institutorum, caussasq; vtiti & iussi; quas humanus animus, qui ratione commodissimè ducitur & suadetur,

Vitæ institutio. *ad obtemperandum non rarò petere ac rogare solet. Constat autem recta vitæ ac morum institutio non tantùm præceptis, verùm etiam præceptorum expositione & comprobatione, ex certis & communibus atque irrefragabilibus principiis aptè & apertè deducta: quibus vbi rectè imbutus fuerit animus, consecuta & collecta doctrinæ veritate mirum in modum delectatur & afficitur; longè secus atque iis accidit, qui difficillimis ac longè petitis, præterea perplexis, & controuersiæ obnoxiis atque interdum falsis, persæpe etiam Sophisticis disputationibus & argumentationibus ad aliquam veri atque boni cognitionem trahuntur potius inuiti, quàm humanè ac liberaliter inducuntur. Cuiusmodi vitio philosophica plerunque documenta atque externorum principum decreta infecta fuere, ac proinde minùs efficaciter prudentioribus hominum suaserunt. Istiusmodi verò rationes ac disputationes, rapidorum ac turbidorum fluminum siue torrentium imagine significantur: quæ autem lenis, pura, atque sana doctrina, eademq; perspicuæ veritatis, bonitatis, & æquitatis nitore commendabilis fluit; puris & lenibus aquis, ijsdemq; placido labentibus fluxu, similis prædicatur. Cuius etiam significationis & imaginis illud apud Isaiam constat responsum, in eos qui sacris legibus & gubernationi regum Iudæ, Assyriorum*

Isai 8. *sceptrum, ditionem, & ambitiosam potentiam prætulerant.* Pro eo quòd abiecit populus iste aquas Siloë quæ vadunt cum silentio, & assumpsit magis Rasin & filium Romeliæ: propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas, Regem Assyriorum, & omnem gloriam eius; & ascendet super omnes riuos eius, &

Iudicia. fluet super vniuersas ripas eius. *Hæc autem diuinæ doctrinæ pars, quæ sanctorum præceptorum præcipuas caussas rationesq; suggerit,* MISPATIM *in sacra lingua dicta, in Latina versione plerumque* iudicia *vocatur, atque simul cum præceptorum nomine commemorata reperitur, vt,*

Deut. 4. & 12. Testimonia. Audi præcepta & iudicia quæ ego doceo te. &, Hæc sunt præcepta atque iudicia quæ facere debetis. *Iudicijs quoque testimonia adiungunt, quæ magis ad historiam rerumq; veram notitiam accedunt; eademq; cum iudicijs simul coniuncta, cognitionis ac scientiæ cupidum abundè explent animum; quippe quæ rem, de qua agitur, à principio vsque repetitam*

Exod. 20. *explicant. vt,* Memento vt diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: nõ facies omne opus in eo, &c. *Cui præcepto & instituto testimonium adiunctum, & condendæ legis rationem reddit, & veram præterea arcanumq; caussam subindicat. est verò testimonium illud,* Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit in die septimo. *Istis itaque partibus diuina in-*

UNIVERSIDAD DE MURCIA

na instructa lex omnes veræ scientiæ & opportunæ cognitionis atque viuendi rationis explet numeros: vnde & conuertere animam dicitur, S.S.E. Lex Domini immaculata conuertens animas. *id quod cum huius etiam Psal. 18. versus prima parte conuenit.*

3. Animam meam conuertit, Deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum.

Humanus animus inter varias hominum doctrinas & opiniones peregrinari solitus, dum nec rectam institerit viam, nec certum dignoscendi reperit modum, cura, labore, & ambiguitate vexatus, lassitudine ita afficitur, vt non solùm defectionis, verùm in desperationis etiam periculum incidat. id quod non paucis olim hominum etiam suo more philosophantium euênit. Humana doctrina. Hoc igitur dico & testificor in Domino, vt iam non ambuletis *Ephes. 4.* sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum: qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in auaritiam. *Longè verò aliter diuinæ legis doctrina legitimos professores excipit suos; quorum animos veræ sapientiæ elementis primis imbutos, eadem opera & illustrat & reficit.* Animam meam conuertit] *Diuinæ legis duo præcipua celebrantur commoda; alterum est, ad virtutem & pietatem veram atque probitatem eruditio; non quòd plenam cultoribus vel efficiat iustitiam vel felicitatem præstet; vtpote in quo infirmabatur per carnem,* nihil ad perfectum adduxit lex; *id quod prima veræ virtutis ac summa elementa doceat, hoc est, fidem & obedientiam: his q; partibus instructum hominem, tanquam pædagogus, ad vitam vitæq; auctorem Christum cognoscendum deducat. Neque enim lex ipsa scripta vita dicitur, sed cognitæ legis obseruatio prima, ac simplex & proba præparatio, & quidam quasi aditus ingressusq; ad vitam; ingressus inquam, nondum introitus. S.S.E.* Diuinæ doctrinæ commoda. Heb. 7. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. *Habet autem hoc sibi Matth. 19. quæ proprium vendicat lex, vt quidquid doceat, quidquid præcipiat, iustum, rectum, ac sanctum ritè appelletur.* Scimus enim quia lex *sancta & Rom. 7.* spiritualis est. *& quamquam hominibus angusta videatur propter carnis molem, quæ latissimam ingredi amat viam, tamen & iusta est, atque rectum se optantibus ostendit ad vitam iter. At qui propter angustias illas, quas continere vulgo hominum existimatur, aliquando via in communi, aliquando vocatur semita.* Lex dicitur angusta. Lex via dicta siue semita, & orbita. legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum. Deduc me in semitam mandatorum tuorum: quia ipsam volui. *Nonnumquam verò & orbita, vt in hoc versu:* Deduxit me BEMAGHAGALEI TSEDEK, in orbitis iustitiæ. *Interpres noster* semitas *vertit, nullo sententiæ dispendio. namque semitæ etiam angustiæ quoque rationem spectant.* iustitiæ semitas *idem quod* semitas *Psal. 118. Ibid.*

mitas iustas *significat: nam primæua lingua possessiuis pro adiectiuis vtitur Latinis, vt* filius perditionis, *pro* filius perditus. Propter nomen suum] *Humanæ salutis ita habet & negotium & ratio, vt vera & solida plenáque felicitas hominum in solo Deo per Christum conciliando & impetrando consistat.* In ipso *enim* vita erat, & vita erat lux hominum. *id quod nullo hominum legitimo antecedente iure, sed solo diuinæ misericordiæ promisso & pacto, ac demum dono & munere, constitit. S. S. E.* Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum; apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio; voluntariè enim genuit nos in verbo veritatis. *Hoc* veritatis verbum *ipsum verum Dei nomen est, magnum, inquam, illud nomen, infinitæ misericordiæ, innumerabilibus manifestandum rationibus: quod vt breuiùs dicendo complectamur, ipsum Dei nomen Deus ipse est. Namque* nomen *hîc & aliàs persæpe virtutem & efficacitatem interpretamur. Pacti igitur diuini conditio illa fuit, vt quiscumque saluti suæ rectè consulere studeret homo, duo cumprimis ipse sibi pararet, fidem, qua diuinis crederet effatis & promissis; & obedientiam, qua iussis ac præceptis obsequeretur diuinis; fretus præcipuè ope, gratia, auxilioq; Dei sese in his etiam ipsis iuuandum ac deducendum; verùm id certè intelligens, felicitatem vitámque æternam non semitis istis, sed in ipsa veritate & caussa, quamobrem istæ tenerentur, constare; hoc est,* in nomine magno Dei. *id quod hac postrema versus parte significatur: nam vox* LEMAGHAN, *caussa siue finis est index. Ipse igitur Deus hominum saluti suæ prospicientium caussa & finis, ipse idem vera & certa via, ipse doctor ac deductor est, ipse iustarum legis orbitarum auctor; quibus quidem, vt ad se perueniatur, oportet insisti. S. S. E.* Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. *Talis enim custodiæ obseruantia & perseuerantia ab iis exigitur, qui ad se nonénque suum perduci student, propter nomen suum. Atque hactenus alterum, quod ex lege percipi dicebamus, commodum indicatum, virtutis veræ prima ac summa elementa & iusta atque æqua & opportuna ad felicitatis rationem documenta præbente: alterum verò est, erratorum & vitiorum in vita notatio, accusatio, & reprehensio, diuiniq; iudicij comminatio & intentatio, in eos qui à diuinæ lucernæ, hoc est, à iussorum sanctorum lumine, ad corruptas & pestilentes ac pestiferas desciuerint tenebras: quos diuina lege admonitos & pulsatos timoreq; correptos, reuocare & ad meliorem frugem recuperare Deus non cessat: verùm identidem tum internis monitionibus, tum etiam declaratis in lege maledictis & execrationibus, nonnumquam verò & certis opportunisq; castigationibus ad sese redire & malorum fines cognoscere ac metuere compellit; nec propterea spem veniæ deponere, sed ad appellandæ misericordiæ consolationem pellicere satagit. Vt verò ouium pecus in tenebris versatum, à lupis, leonibus, & vrsis, aliisq; feris, nisi pastor, vindex, ac magister adsit, vehementer periclitatur; ita & homo, qui sub legis conditione agens in vitiorum*

Iohan. 1. Salus ex gratia Dei Iacob. 1. Verbum veritatis. Dei nomē. Pacti conditiones. Psal. 118. Legis vtilitas. Legis commodum alterum. Conscientiæ admonitio.

UNIVERSIDAD DE MURCIA

tiorum declinat caliginem certamq́, mortis vmbram, nisi Deus conscientiæ pulsator atque vetitorum commemorator præstò fuerit (est autem bonæ voluntatis hominibus præstò) dubio procul perierat homo ille. Verùm enimuero & hanc etiam curam à diuina misericordia susceptam Vates prædicat, & gratulabundus appellat.

4. Nam & si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala : quoniam tu mecum es. Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

In medio vmbræ mortis] *Ignaua, vmbratilis, & palustris, atque vitiis obscurata vita vel consuetudo, & à vero deuia acta, huiusmodi schemate in sacro significantur sermone.* Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent. Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam : & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. *quod de euangelici luminis beneficio prædicatum constat, atque ad vlterius Dei donum pertinet. Quod verò hic Vates ait, illud est, videlicet, eos qui sub lege aguntur & exercentur, si aliquando propter infirmitudinem carnis in erroris tenebras delabi euenìat, nec prorsus inhærere contumaciterq́, versari iuuet, præsentis Dei reprehensione, monitu, & cùm oportet etiam castigatione correptos, ad rectam redire vitæ orbitam. id quod multis sanctarum historiarum exemplis commonstrari facile ac promptum fuerit. Verum in suis etiam periculis nonnunquam Vates hic noster agnouit, in quibus Vriæ Hethæi caussa, & populi recensio numerantur. Notanter itaque verbum* ambulauero *pronuntiatum : non enim hic legimus* Si sedero *aut* constitero in medio vmbræ mortis, BEGEI TSALMAVETH, in profunda valle vmbræ mortis : *Tali enim loco est qui quis à iustitiæ discedit orbitis : quæ quamquam asperiores angustioresq́, interdum videantur, tamen semper editiores & clariores procedunt. Pastori verò, ad ouium ductum, correptionem & gubernationem, duo communiter vsurpantur, siue instrumenta siue arma nominare placeat ; pedum, qui aliàs baculus dicitur, recuruo capite & ad retinenda pecudis crura idoneo, & virga ad leuiter interdum verberandum habilis. quorum vicem apud animorum pastorem Deum duæ obtinent res ; tum interna conscientiæ admonitio ante errorem, & in ipso erroris impetu atque post peccatum quoque admissum ; tum verò nonnumquam propria in peccantem, interdum quoque in alios ad exemplum animaduersio : quæ nunquam æquales peccatis pœnas in terris irrogat, sed, vt scholarum formula dicitur, citra condignum punit. de quo diuino gemino beneficio scriptum legimus :* Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias [*id est* baculum] nec deficias cùm ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit ; & quasi pater in filio complacet sibi. *Itaque baculi & virgæ auctoritatis, vtilitatis, & efficientiæ illa sunt, monstra ferasq́, pecori infestas terrere ac fugare, ac emendationem salutémque*

Luc. 1. Tenebræ. *Matth. 4.*

Pastoris pedum ac virga.

Diuinacastigatio.

Prou. 3.

UNIVERSIDAD DE MURCIA

ouibus cauere & curare. Atque hactenus alterum ex diuinæ prouidentiæ
Dei familiaris cura. *cura sub legis disciplina deductis commodum, & communis eorum, qui sic se habent, explicata & commendata conditio: cui & altera quæstigio subiungitur multo illustrior ac longè felicior, suis à Deo prospecta & comparata pecudibus, non solùm salubris & opportunæ atque vtilis in illo statu pastionis, verùm vlterioris ac magis familiaris domesticæq; saginæ & curationis: qualis adhiberi solet selectæ ac domum deductæ atque apud se educandæ ac fouendæ instarq; liberorum accipiendæ pecudi. cuiusmodi curæ il-*
2. Reg. 12. *lud in imagine præclarum citatur exemplum:* Dues habebat oues & boues plurimos valde: pauper autem nihil habebat omnino præter ouem vnam paruulam, quam emerat & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filiis eius simul, de pane illius commedens, & de calice eius bibens, & in sinu illius dormiens: eratque illi sicut filia. *Per-*
Sanctorũ noui Testamenti felicissima cõditio. *stans itaque Dauid in orationibus ex pastoris cura & bonitate translatis, alteram sibi paratam credit, exspectat, ac canendo prædicat sortem, fore vt ex legitimæ disciplinæ & consuetudinis pascuis in Dei domum tandem deducto diuina & æterna communicetur familiaritas, & vera atque solida in filium adoptio, cum felici ac perpetua diuinarum epularum copia & cælestis etiam potus indeficiente propinatione, summis præterea & pretiosissimis fragrantissimisq; & purissimis delitiis vnctionis ac virtutis Spiritus sancti: cuius qui ex diuino beneficio compos extiterit, ab agresti illa & rusticiore per solitudines vagatione ad domesticam vitam, à metu inimicorum ad sanctitatem & iustitiam coram Deo perpetuam, à formidine ac timore in ardentissimum amorem translatus, æternæ particeps pacis ac securitatis, perpetuis vacat & studet laudibus & gratulationibus. Huius argumenti quæ sequitur catastrophe, atque totius Psalmi latissima peroratio est.*

5. Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus est!

Testamenti noui æternam felicitatem fidelibus diuinorum præceptorum studiosis vereq; diligentibus paratam, verbum parasti *indicat, quod in exemplari lingua futuram secundæ personæ formam obtinet*, THAGHAROCH, instructam mensam parabis, siue instruens mensam ad facies meas, aduersus eos qui tribulant me NEGED TSORERAI
Corporis & sanguinis Domini Sacramentum. contra prementes mei. *Sacramentum magnum corporis & sanguinis Christi, atque vnctionis Spiritus sancti, hoc schemate adumbratum latet; quorum donorum, qui verè & efficaciter participes fiunt, ab hostibus & inimicis tuti atque à peccatorum iniuriis & insidiis liberati perpetua satu-*
Iohan. 10. *ritate fruuntur; cuius rationis ac sententiæ illud est:* Amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro: qui autem intrat per ostium, pastor est ouium: huic

ostia-

ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas: & cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit; & oues vocem eius sequuntur, quia sciunt vocem eius: alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc prouerbium dixit eis Iesus: illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Iesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium: omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones, sed non audierunt eos oues. Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur; & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Fur non venit nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Ego veni vt vitã habeant, & abundãtiùs habeant. *Quo Christi sermone etiam per imaginem pronuntiato, facilè attendentibus apparere incipit, quid sibi à Deo paratum exspectet & gratuletur Vates, dum prædictis adiungit:*

6. Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.

Manifestè enim declarat perpetuum sibi diuinæ prouidentiæ beneficium ex misericordiæ pacto non defuturum, quandiu præsentis vitæ, hoc est, quamdiu legitimæ disciplinæ vsura suppetat; cuius decursum mox absolutum, quænam conditio quamq; beata ac felix eademq; æterna consecutura sit, euestigio declarat.

Et vt inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.

Alteram sortem priorem, hoc est, legitimam & misericordia Dei ducendam, sed finem tamen habituram, superiore versus parte adnotauit: alteram verò æternam intra Dei domum ducendam, non vt hospiti & aduenæ, sed vt ciui sanctorum ac domestico Dei, hac posteriori subindicat parte sibi creditam & speratam; qualem aliàs prædicare solet: Beati qui habi- *Psal. 83.*
tant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te. In longitudinem dierum, *idem significat quod* in æternum: *nam aliàs nulla dierum dicenda longitudo quæ certo præcidatur termino in exemplari clarius,* LEORECH IAMIM, ad longitudinem dierum, *id est, quando & quamdiu dies longi, hoc est, perpetui, dici possunt. Nam qui dies noctibus interpellantur, longitudinis prærogatiuam non sortiuntur, quales in hac mortali vita,* breues dies hominis *esse dicuntur. Huic significationi* *Iob 14.*
& verbum SACHANTHI, inhabitem, *astipulatur: quod immobilem & inuariabilem cum securitate atque quiete mansionem significat.*

IN PSALMVM XXIII.

ABRAHAMO ORTELIO SALVTEM.

Abrahami Ortelij laus.

SAlutis humanæ cunctis orbis nationibus communicandum ex Deo beneficium, gratulatione & laude publica, tum à singulis, tum verò pariter ab omnibus, celebratu dignissimum, quis nostro ævo commodiùs & opportuniùs prædicare, & millis in totum terrarum orbem epistolis ac nunciis differre ac propagare valeat, si vnius mortalis id negotium esse possit, quàm tu vnus Abrahame Orteli? qui eius, cuius nomen obtines, fidem, virtutem, & modestiam imitatus, post literarum bonarumque disciplinarum obtentam peritiam, bona Christiani orbis quoque peragrata parte, atque varia linguarum & sermonum comparata copia, & diuersorum notitia morum auctus; geographicas non tantùm totius terrarum orbis, verùm singularum prouinciarum, regionum, ditionum, viciniarum, ciuitatum, ac ferme etiam vrbium & oppidorum, exquisitissimas & exactissimas imagines mobili & in singulas hominum domos asportabili Theatro spectandas ita concinnasti ac distinxisti; vt post industriæ tuæ laborem, à nemine antea mortalium ita fortiter susceptum ac toleratum, ita feliciter absolutum & liberaliter ad publicam vtilitatem editum, nulli aliàs peregrinationis & terræ ac maris viarumque cognitionem comparandi cupido, quicquam quod requiri possit, videatur relictum; quò minùs citra temporis interuallum atque itinerum difficultates, citra pericula vitæ valetudinisque discrimen, ac viatici necessarium sumptum, intra propriam patriam, vel ab ea non longè hospes, domi priuatè agens & quiescens, aut in villa rusticatus, vel in ciuitate recreationem à munere publico vel à negotiis quærens, quasi per scenam & ludum, quo nullus vel iucundior vel ad omnem vitæ partem & rerum historiam

Ortelij Theatrum geographicum.

UNIVERSIDAD DE MURCIA

storiam reperiatur vtilior, terræ ac maris loca omnia, incolas cum suis moribus, ritibus, habitibus, armis atque studiis, in medium producta ingente cum voluptate & ad propositi argumenti vsum certa veritate spectet; atque tam mente & animo concipiat, quàm sensu & oculis intueatur: dumque id agit, æuo te nostro atque posteris datum à Deo putet, qui solus omnem antiquorum in hac sapientiæ parte studium viceris, & recentiorum diligentiam exceperis; exceptam ita comparaueris, vt quæ & illis, & istis variè & perplexè tractata atque incondita prodierant, à te ita contexta & cohærentia nunc edita fuerint, vt tibi omnes sudasse & sategisse videantur, tu omnibus elaborasse & satisfeciisse, atque nominis tui monumentum ad cunctos iure transmissum sacrasse dicaris. Age dum iam modò, mi Abrahame, & quantum tibi Deus gratiæ apud omnes concessit gentes, da operam, stude, ora atque posce, vt propriæ singulorum salutis amor & cura, cum Psalmi huius & aliorum quibus de eadem re agitur cognitione, communicetur & crescat ad laudem & gloriam eius, qui vt vnam filiis hominum terræ habitationem decreuerat, sic vnum cunctis constituit, & comparauit apud se domicilium; id modò ritè ac seriò agentibus, quod à communi multarum gentium patre Abrahamo studiosè ac diligenter actum, factum, ac præstitum narratur. Vale. ex Rupe nostra apud Aracenam. IIII. Id. Septemb. CIↃ. IↃ. XCVII.

ARGVMENTVM.

TErra omnis vna est hominum caussa ab vnico auctore & condi- Terra vna.
tore Deo primùm creata, & multis ad fertilitatem atque vsum
sui viribus & nominibus instructa; quæ quamquam non conti-
nua appareat omnis, tamen vnica est & vnico continente fun-
damento solida; interiecto quidem diuersa per loca mari, & fluminibus in-
terdum distincta altioribus & ad nauigationem opportunis; atque hoc pa-
cto mutua sui & aquarum ope vires conseruat suas. Vtraque pars, terra
inquam & mare, hominum habitationem quamquam longè lateq; patentem ac variè distributam, tamen viarum & nauigationum industria com-
municabilem præstat; atque ita verè ac reapse vna omnium domus, vna Deus vnus.
habitatio est; vtpote vnico solo sita, & vnico etiam cælorum tecta & con-

tenta ambitu, vnicum quoque sui testatur auctorem, regem, gubernatoremq; summum Deum, omnibus terræ habitatoribus cognoscendum ac piè religioseq; colendum. Verùm enimuerò non omnibus quondam eo nomine innotuit, quo sese IEHVEH, *id est, misericordem & seruatorem sospitalémque vocari declarauit ipse: namque id nomen aliis olim nationibus ignoratum, apud vnam Semitarum familiam conseruatum, diu tamen non adeò celebre & propagatum fuit, nisi in Iacobi sobole per duodecim diuisa tribus; quibus sanctissimum nomen illud familiariter ac religiosè multa cum vtilitate celebratum ac decantatum mansit, non tamen omnibus illis ex æquo & in suam ipsorum salutem agnitum, sed iis tantùm quibus pura & integra fide atque sincera pietatis & virtutis obseruantia cultum, conciliatum, & quodammodo gustatum fuit. Hac verò conditione toto illo tempore perseuerauit, quo scriptæ & latæ Legis notitia & vsus figuralisq; ritus vigebat: Ecclesia tunc vno in loco tanquam in orbis medio constituta, & veluti lucerna quædam in tenebris incensa, quò omnes vndique conuenire possent, quicumque de salute sua seriò, diligenter, & studiosè agerent. S.S.E.*

IEHVEH nomen nõ omnibus gentibus cognitum.

Dei nomẽ ad salutem quibus agnitum.

Ecclesia vetus.

Posui te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. *Cùm verò ad huiusmodi conditionem rari ex gentibus & non multi etiam ex Iacobi posteris accessissent, propter communes hostis, id est, Diaboli astum, fallaciam, fraudem, & perpetuam nocendi & impediendi contumaciam; abundante & inexhausta diuinæ misericordiæ & bonitatis liberalitate ab initio consultum & prouisum, demum verò in seculorum finibus effectum est, vt salutis ratio, notitia, & copia non in vno tantùm loco & populo constaret, sed illinc profecta ipsa vltro per euangelium in omnes terræ orbis partes communicanda & impertienda propagaretur; iisdem tamen conditionibus ac pactionibus, quibus antea Israëlitis promissa fuerat, videlicet fidei promissis, ac virtutis obedientiæq; iussis & mandatis diuinis præstandæ. quam historiæ seriem & formam, diuinus Vates ac Psaltes in Psalmi huius paucis quidem versibus, verùm sententia & rationum refertissimis, complexus, contexuit.*

Ecclesiæ per Euangelii propagatio.

1. Domini est terra, & plenitudo eius; orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo.

Diuina prouidentia erga hominum genus, cùm in hac mortali vita fouendum, progagandum, & gubernandum, tum verò demum æterna felicitate afficiendum celebratur hoc Psalmo. qui à graui & alto principio exorsus, magnum progressum & præstantissimum promittit finem: id quod antiquis & artificiosis poëtis (quorum artis & præstantiæ summum exemplar in Dauidis carminibus constat) in magni & singularis argumenti atque commendabilis doctrinæ hymnis, odis, & cantibus, consultò seruatum adnotatur. vt apud Pindarum:

Poëtarum artificium

Olymp. ad. 1. optimum quidem aqua.

Ἄριστον μὲν ὕδωρ, &c.

Apud

Apud Horatium:

Inclusam Danaem turris ahenea. *& alibi:*

Odi prophanum vulgus & arceo.

Est autem primi huius versus doctrina summa quædam & maxima propositio, totam porrò concinnandam argumentationem complexa, qua terræ totius atque hominum in ipsa degentium ius & possessio, vni Domino, Deo in quam sapienti, misericordi, & efficaci, arrogatur, & cura etiam gubernationis adscribitur, & certa ac legitima in posterum vendicatio decreta prædicitur. Atqui ex compluribus diuinis nominibus, quorum vnumquodque certam quandam virtutis Dei rationem, ab aliis non re sed significandi modo distinctam, continet, duo celeberrima & appellando frequentissima sunt; ELOHIM, *quod ad creationis & gubernationis mundi auctoritatem citatur, &* IEHVEH, *quod in humani generis labe sananda & ruina sarcienda, atque adeò amplificatione præstanda & in misericordiæ diuitiis communicandis plerumque appellatur. Atque prius illud nomen à principio vsque mundi conditi vsurpatum, vel id ipsum in propria & primæua lingua conseruatum, vel nonnihil in aliis linguis mutatum, vel etiam ex significatione magis quàm ex voce ac sono relatum, omnibus gentium nationibus & populis celebre constitit, siue, vt Chananæis,* ELOHIM *diceretur, siue* ELOHAH, *vt Chaldæis & Assyriis; Arabibus* ALAH, *Persis,* GODAH, *Cimbris* GOD, *Græcis postea & Latinis* ΘΕΟΣ *ac* DEVS, *siue quocumque modo ille diceretur, qui vel mundi auctor vel rector vel vtrumque esse credebatur. Illud verò alterum nomen* IEHVEH, *in cuius mentione salutis humanæ agitur summa, cùm raris quondam viris ante commune diluuium prædicaretur, apud Semi posteritatem conseruari, & ab Abrahamo rursus commemorari, virtutis verò & efficientiæ experimento Iacobi nepotibus quadamtenus cognosci & probari Deus voluit. S. S. E.* Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob, in EL SADAI [*Deo omnipotente*] & nomen meum IEHVEH [ADONAI] non indicaui eis. Pepigique fœdus cum eis vt darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt aduenæ. Ego audiui gemitum filiorum Israël, quo Ægyptij oppresserunt eos, & recordatus sum pacti mei. Ideo dic filus Israël: Ego Dominus qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de seruitute, ac redimam in brachio excelso & iudiciis magnis. Et assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus: & scietis quòd ego sum Dominus Deus vester qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum, & induxerim in terram, super quam leuaui manum meam, vt darem eam Abraham, Isaac, & Iacob, daboque illam vobis possidendam ego IEHVEH. *Igitur nomen illud sanctissimum* IEHVEH, *apud Iacobi posteros salutaris ac tutelaris numinis ergò celeberrimum, post salutis illius & libertatis tempus perpetuò mansit; alijs verò nationibus & populis proximis quidem aliquandiu notum, non tam ex propria vtilitatis agni-*

Dei nomina.

IEHVEH nomē quibus cognitum.

GODAH. GOD. ΘΕΟΣ. DEVS.

Exod. 6.

tis agnitione, quàm ex vltionis & vindicationis sensu. Siquidem & Pharao, qui se scisse aut scire aut reuereri nomen illud negauerat, non sine suo suorumq; magno malo tandem noscere & confiteri coactus narratur: Fu-
Exod. 14. giamus Israëlem : IEHVEH enim pugnat pro eis contra nos. *Idem etiam Chananæis postea, deinde etiam Philistinis formidabile ac terribile existimatum, sentientibus nimirum victoriæ & vindicationis robur & virtutem in eos, qui sese Israëlitis præbuissent hostes : ex quibus illi sic testati*
Iosue 2. *confessiq; narrantur:* Noui quòd Dominus tradiderit vobis terram : etenim irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terræ. Audiuimus quòd siccauerit Dominus aquas Maris rubri ad vestrum introitum, quãdo egressi estis ex Ægypto : & quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus, qui erant trans Iordanem, Seon & Og, quos interfeciſtis : & hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis Spiritus ad introitum vestrum. IEHVEH enim Deus vester, ipse est Deus in cælo sursum & in terra deorsum.
1. Reg. 6. *In hunc modum Chananæi. Philistini verò non secus :* Iuxta numerum prouinciarum Philisthinorum quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos : quia plaga vna fuit omnibus vobis & satrapis vestris : facietisq; similitudines anorum vestrorum & similitudines murium, qui demoliti sunt terram, & dabitis Deo Israël gloriam ; si fortè releuet manum suam à vobis, & à diis vestris, & à terra vestra. Quare aggrauatis corda vestra, sicut aggrauauit Ægyptus & Pharao cor suum? nónne postquam percussus est, tunc dimisit eos, & abierunt? *Idem itaque Dominus* IEHVEH, *qui delecto sibi populo salutarem se præstabat olim, aduersariis atque inimicis populi sui terribilem & formidabilem præbebat ; cùm tamen vel hostium ipsorum confessione Deus in cælo & in terra crederetur. Id quod vt verissimum Psalmi huius initio asseueratur, & tanquam vnico auctori ac domino & gubernatori vel ex ipso opificio,*
Terræ nomina. *atque ex permanente adiudicatur habitu. Ex duobus autem nominibus quibus terræ natura & vtilitas indigetatur,* ERETS & ADAMAH; *prius illud hoc vsurpatum loco, non solùm qua parte plantarum & frugum fertilis est, quáque* ADAMAH *dicitur, verum qua rerum aliarum varia & multiplici vi & fœcunditate nobilis, ita vocatur. Quidquid inquam terra est, quidquid in se habet, aut ex se præbere potest,* Domini est terra. *id quod cùm dictum satis esse posset, vlteriùs tamen per expolitionem declaratur,* & plenitudo eius ; *quo adiuncto nulla sui parte inanis & vacua aut inutilis esse prædicatur ; qualis nimirum initio, cùm ex aquarum ambitu extitisset, apparebat, cùm* IABASAH, *id est, arida, tantummodo diceretur : nam postquam à Deo vocata est* ERETS, *nomen etiam* THEBEL *meruit & admisit ; pro quo Latini interpretes sæpius reddunt* ORBIS. *dicitur autem* THEBEL, *vocabulo duobus verbis* NABAL & BALAL *maximè affini : quorum alterum cadere, descendere, & ruere interpretamur, alterum verò miscere, complicare, & confundere. Namque terra in-*
Orbis.

ra infimum totius orbis firmißimumq; sortita conseruat situm, eademq; in finitis ferè succis ijsdemq; mixtis & variè habentibus abundat; quorum nihil ex sese habet quod non auctori Domino reddat acceptum: non situm, quandò scriptum legimus: Cõgregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum: & appareat arida. Et factum est ita. Et vocauit Deus aridam, Terram, congregationesque aquarum appellauit Maria. & vidit Deus quòd esset bonum. *Aquarum à terra discriminatio, vtriusque et iam partis vis, habilitas, & fœcunditas, situs quoque ipse atque habitus, cum nominibus ex naturæ veritate impositis, cuncta hæc, diuinæ sapientiæ doctoritate ac sententia, boni ius, præconium, atque laudem communicant, obtinent, ac tuentur. & quoniam hæc, quibus terra commendatur, omnia hominum caussa facta sunt, vtpote habitationi atque vsui destinata, meritò tam domus ipsa quàm incolæ,* Domini esse *dicuntur*, & vniuersi qui habitant in eo. *vt alibi etiam eodem hoc Psalmorum libro asserium.* Cælum cæli Domino: terram autem dedit filiis hominum. *Atqui omnia hæc ad vnum Dominũ pertinere dicuntur, vt auctorem opificemq; vnicum, non ab aliquo alio vel coactum vel conductum, sed neque edoctum aut monitum, à nemineq; correctum; sed vnum opus vnico consilio ac iussu & vnico tempore fabrefactum & absolutum, atque vnis ab initio vsibus, & mutuis virtutibus atque commodis concinnatum: quæ omnia vt constantem ordinem atque integrum probant opificium, & sibi prorsus consimile præbent exemplum; ita exemplar vnicum, & vnicum asserunt sui architectum & gubernatorem conseruatoremq; Dominum.*

Terræ situs & natura.

Gen. 1.

Psal. 113.

2. Quia ipse super maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum.

Totus terræ ac marium & fluminum siue globus siue orbis, quemadmodum habeat, hoc vno versu graphicè pingitur: neque enim, vt veterum geographorum vulgus opinabatur, mare ac terra singulos orbes constituunt, sed ambo simul vnicum, variis in locis mutua sese insinuatione & cessione aperiendo, intermittendo & penetrando; atque ita distinguendo, vt solidi globus totus vnicum terræ, aquæ verò varij meatus, aditus & receptus, multitudinis numero latius obtineant vocabulum; congregationesque aquarum appellauit Maria; *in terræ verò ipsius spacio flumina ex mari profecta, veluti vtriusque partis commodorum vectores & apportatores quidam percurrant; siquidem* omnia flumina intrãt in mare (*terrestres videlicet vtilitates in mare deuoluendo*) & mare non redundat; *quippe* ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur vt iterum fluant, *marina commoda terræ etiam communicando. Interpretationis ac descriptionis huius vim vox* GHAL *exprimit, quæ non tantùm in* super *vel* supra *apud Latinos verti postulat, sed etiam* iuxta, secundum, apud, prope. Quia ipse iuxta maria fundauit eum, & secundùm flumina præparauit,

Terrarum & maris globus.

Fluminum vsus.

Eccles. 1.

Super.

IECHONENEHAH, concinnabit eum: *perpetuò concinnatum seruat: quæ vis futuri verbi plerumque est, in naturæ verò rationibus perpetua.*

Futuri significatio.

Hactenus prima propositæ disputationis pars, qua terræ & maris orbis, cum opibus, commodis, habitatoribusq; suis, vni IEHVEH *tanquam auctori, gubernatori, ac Domino adiudicatus arrogatur; atque ita Deus vnicus, idem communis omnium hominum Princeps ac Dominus agnoscendus & colendus celebratur, quamquam non omnibus quondam pariter & communiter singulari illo notus nomine, præcipuè ad misericordiæ, gratiæ, & beneficiorum publicas abundantesq; diuitias referendo; quæ prima & potissima in illius mentione & appellatione habetur ratio: namque hoc pacto ac iure ab Israëlitarum gente celebratur, vt sibi beneficentissimi Domini, vicinis & finitimis vindicis iniuriarum suis cultoribus factarum; quibus tamen cultoribus interdum se correptorem præbendo, eodem nomine, verùm vt Pater vel Dominus familiarior, vocabatur: idq; plerumque cum adiuncto* EL TSEBAOTH, *id est,* fortis *vel* præstans & exercituum princeps. *Remotioribus verò nationibus ferè prorsus illud erat ignotum & nomen & numen. S. S. E.* Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. *Quam verò gloriam dari & manifestari poscerent, illi euestigio declarant:* Super misericordia tua, & veritate tua; nequando dicant gentes, Vbi est Deus eorum? Deus autem noster in cælo: omnia quæcumque voluit, fecit. *Igitur arcanum, admirandum & adorandum nomen hoc, vt alius minùs notum gentibus, ita sibi tantùm singulariter constare ac familiariter fauere, Israëlitæ præsumentes prædicabant; atque hac sibi blandiebantur gloriæ prærogatiua, quòd non solùm delecti segregatiq; essent ac peculiariter admissi ad communionem beneficiorum sanctissimi nominis huius, verùm etiam singulari terræ, ciuitatis, atque etiam templi loco, soli ipsi mortalium omnium diuina fruerentur familiaritq; tutela; tanquam electum genus, & quod ad ceteras comparatum gentes, sacrum sanctumq; haberetur, & magnorum consciũm arcanorum, quæ sub nominis illius maiestate velabantur.* Et Dominus elegit te hodie vt sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, & custodias omnia præcepta illius: & faciet te excelsiorem cunctis gentibus quas creauit, in laudem & nomen & gloriam suam: vt sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est. *Atque hanc ipsam gloriam iactationemq; istiusmodi, populus ille sibi vni vsurpatam (vt vulgus hominum sibi nimium indulgens assolet) propriam perpetuamq; arbitratus est, nonnisi solis Iacobi filiis, aut iis, qui in ipsorum turbam concederent, communicatum iri arbitrabatur.*

Deus exercituum.

Psal. 113.

Israëlitarũ de Dei erga se gratia præsumptio.

Deut. 26.

Israëlitarũ falsa iactatio.

Iuuenal. Sat. xiij.

Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti;
Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.

Ad hanc etiam præsumptionem illud accedebat, quòd sola inter omnes orbis vrbes Ierosolyma delecta censebatur, in qua Fanum vnicum sanctissimo illi sacrum dicatumq; constaret nomini, tanquam regia quædam ciuitas, atque

que aulæ regiæ iure & priuilegio singulariter donata, vt illis ipsis habebatur seculis. S.S.E. Notus in Iudæa IEHVEH : in Israël magnum nomen eius. Et factus est in SALEM locus eius ; & habitatio eius in Sion. Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum. *Et quidem hæc omnia quamquam ita verè habuerint, imaginem tamen præferebant futuræ felicitatis, cuius amplior doctrina ac notitia omni terrarum orbi communicatum iri prædicta fuerat ; vt vel ex illo declaratur oraculo,* Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. *Idem autem ferè argumentum hoc in loco tractatur, & certa rerum serie rationeq; commendatur : namque illud verè affirmabatur, diuinæ ac sanctæ doctrinæ copiam & nominis Dei notitiam, in illo terrarum siue loco siue angulo, siue, vt antiqui voluerunt, meditullio, constare ; & iis qui veræ pietatis profiterentur cultum & studium, communicari : verùm enimuerò doctrinæ illius vtilitatem & efficacitatem non omnibus pariter qui ex sanguine Abrahami secundum carnem deducerentur, concedi ; sed iis qui certa & solida virtute Abrahami fidem, vitam, atque mores referrent ; qualem sese Abrahami nepos præbuerat Iacob ; aliàs frustra quemquam iactare genus, à cuius exemplo mores discrepent.*

Psal.75.

Gen.22. Promissa Abrahami quos spectent.

3. Quis ascendet in montem Domini ? aut quis stabit in loco sancto eius?

Anthypophora hæc ab ipso pronuntiatur Vate veram impetrandæ gratiæ rationem docere satagente, conditionesq; commemorante, sine quibus nec sancta nec pura cuipiam adscribi posit religio, quamlibet externo atque spectabili niteat ritu. Quis ascendet in montem Domini? *Moriam montem Domini vocabant antiqui, in quo Abrahamus quondam tentatus, ac tentanti obsecutus, filium vnicum sacrificare gestiebat, in eodemq; postea templum illud totius orbis celeberrimum à Salomone constructum fuit. Dauidis verò tempore tabernaculum ibidem fixum visebatur. Huius verò montis dignitatem singularemq; celebritatem soli sibi Israëlitæ arrogabant, ex illo sæpius repetito responso,* & adorabis in loco, quē Dominus Deus tuus delegerit. *Iacobi autem nepotes & posteri, arcanam doctrinæm nimium rudi sensu perceptam secuti, se solos, vel eos qui eandem doctrinam cum circumcisione profiterentur, illo nomine & iure definiri arbitrabantur, idoneosq; existimabant adeundo & frequentando loco illi, in quo præcipuo quodam beneficio Domini sanctitudo & maiestas prælucebat. Obiter autem mysterium indicare iuuat, cupientes lectoris ad altiora magisq; cælestibus simila votum & studium incitare.* Quis ascendet MIIAGHALEH, Quis vlteriùs & altiùs procedet, in montem Domini, BEHAR IEHVEH, in grauidationem Domini ? *grauidationem subindicat, quam felicissimus manet partus. qui legit, intelligat. Hunc verò ascensum statio consecutura dicitur :* in loco sancto eius, BEMAKOM

Mons Domini. Moria mons.

Israelitarū error.

Deus locus dictus. KODSO. *constitutionem & perseuerantem mansionem significat in capacitate sancta Dei, cui inter alia nomina* MAKOM, *id est, locus vel capacitas* Apoc. 3. *adscribitur. Stare autem in sancto illo loco, cum illo conuenit promisso.* Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur ampliùs: & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalem, quæ descendit de cælo à Deo meo, & nomen meum nouum. Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. *Nam* IAGHAMOD, stabit, *verbum, nomini* GHA-
Columna. MVD columnæ, *originem & significationem præbet. Sed iam ad simplicem commentationem redimus, cùm arcanam persequi nondum tempestas ferat; quod verò nunc instat, quinam in montem illum ascensuri sint, doceamur.*

4. Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vanum animam suam: neque iurauit in dolo proximo suo.

Salutem impetraturi partes. *Ascensuro ad montem Domini & constituro in loco sancto, quænam partes, leges, & conditiones exigantur, audire est operæ pretium; hoc est, salutem suam à Domino impetraturi partes discere ac tenere: namque in humanæ felicitatis pacto duarum partium conuentio est, hoc est, Dei ex misericordia polliciti & numquam fallentis, & hominis id agentis quod ad rem attinet, atque ex diuina ope conati & satagentis: à quo duo exiguntur,*
Fides. *nempe fides erga promittentis benignitatem, virtutem, & voluntatem, &*
Obsequiū. *obsequium illius præceptis præbendum. id quod certis præstatur officiis erga Deum, erga se ipsum, & erga ceteros homines. Hæc autem officiorum summa est, erga Deum pariter & erga homines animi simplicitas & mentis puri-*
Animi puritas. *tas, vt nequid cogitatione aut voto agatur, quod à recta ratione vel tantillum deflectat; rectæ autem rationis norma & examen, illis duobus definitur præceptis:* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, ex omnibus viribus tuis; & diliges
Innocētia. Beneficentia. proximum tuum sicut te ipsum. *Huic proximum est nihil cuiquam nocere mortalium, nihil in se admittere, quod aduersum se ab alio admissum graue aliquo pacto videri possit. atque hoc posterius, promptius & facilius cautu & vitatu est, & à pluribus vitatur; quippe cùm interdum damni aut mali aut incommodi aut infamiæ legibus decretæ formidine coerceatur, vel etiam virium & facultatis inopia retineri accidat; atque adeò si nihil istorum vetet, ambitiosa tamen humanæ gloriæ cupidine dissimuletur; quando si fallendi homines adesset spes, profanis pariter sacra miscere, nulla retardaret religio. Verùm enimuero ficta huiusmodi ac dissimulata innocentia & abstinentia, quidquid apud homines venetur, tamen Deum, quem nihil fallit, nullo pacto conciliat; immo infensum sibi reddere pergit, vtpote simplicissimum & fictionis simulationisq; inimicum. Prima igitur debentur animi bona Deo, deinde verò hominibus innocentia & beneficen-*

neficentia: ab hac tamen primùm conditionis exactio incipit, vtpote quæ humano agnoscendi modo prima occurrit, seseq; spectatorum offert sensibus, & à pluribus ideo quàm altera pars exhibetur. atque ita ab antiquis æstimabatur, qui ex consequente actione vel facto antecedentem voluntatem censentes, bonum virum quempiam eundemq; sanæ mentis hominem commendabant, quippe qui ex spectatæ vitæ consuetudine, animi habitum putarent. contra verò Abimelechus Deo, cui sese purgare auebat, animi prius, deinde facti defendebat immunitatē: In simplicitate cordis mei & munditia manuum mearum feci hoc. *Hæc itaque prima exactæ legis pars animi probitas & facti innocentia, vt nequid cuipiam noceatur, sed nec noceri cupiatur quidem: huic etiam alia pars adiungenda, integritas videlicet & sanitas non solùm priuatorum vitæ morum, sed votorum quoque, nequid ex ambitione, aut ex inanis gloriæ vel superuacaneæ cupiditatis impulsu, agatur; sed quidquid vel dicto vel facto vel etiam cogitatu suscipiendum fuerit, pondus momentumq; præferat ac probet, & ab æqui & honesti soliditate nihil deterat.* Qui non accepit in vano animam suam] ASER LONASAH LESAVEH NAPSO; Qui non sustulit in vanum animam suam. *Animæ nomen pro appetitiua animi vi surpari sæpissimè aliàs docuimus,* SAVEH *vocabulum, otiosum, superuacaneum, intempestiuum, & iocularium vel ridiculum, & quidquid cassum ac minùs solidum est, significat: atque hac eadem verborum formula illud vetitum legimus,* Non assumes nomen Domini Dei tui in vanū. *Namq; humanæ natura ac dignitas animæ longè nobilior ac generosior est, quàm vt vanum aucupetur quicquam, quin potiùs à fabulis & ludis & spectaculis inanibus vt abhorreat, atque rem detestetur omnem, quam honesta non solùm oratio, sed ratio quoque solida non commendet: fraudis verò, fallaciæ, ac doli, simulationisq; genus omne, quod in cuiuspiam mortalium vergat incommodum, ita vitari oportuerit, vt nec iureiurando adstrictum admittere fas esse putetur.* Neque iurauit in dolo proximo suo] VELO NISBAGH LEMIRMAH & non iuratus est in fraudem, *siue fallaciam. quod Latinè legimus,* proximo suo, *sententiæ caussa videtur adiectum. Atque hoc documento non modò dolosum iuramentum, sed dolum, fraudem, simulationem, industriamq; omnem à boni & æqui ratione ac definitione alienam, etiam præmissa iurandi sanctitate munitam, vetari intelligimus. Ita verò ex consequenti, fidelis ac probi viri certas & à Deo exactas conditiones tenemus quatuor legum summâ collectas, manuum puritate, sanitate mentis, votorum soliditate, & dictorum ac iuramentorum religiosa simplicitate. quæ omnia ex Dei exigentis ope & gratia præstari posse ac deberi, homines etiam, qui inter gentes sapiebant, confessi sunt:*

Dominus cor maximè intuetur, homines opera primum.

Gen. 20.

Votorum sanitas.

Anima.

Exod 20. Vanorum aucupium

Fraus & Industria.

Probi viri partes.

Compositum ius fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto. *Pers. Sat. 2.*

Hæc itaque iure exacta, quisquis candidè ac purè præstiterit;

5. Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.

Dei veritas ac fides.

Partium, quas ad propriam salutem & felicitatem impetrandam afferre oporteat hominem, declarata lege certissima, deinde asseueratur Domini benignitas & fides, congruente profectò rerum ac rationum iure: nam qui vanitatem spernit & odit, verum ac solidum bonum deligere, optare, atque expetere putatur; accipiet *igitur* à *benigno & misericorde* Domino IEHVEH. *idem verbum* NASSAH *in superiori versu negatum, in huius principio repetitum adstruitur*; qui non sustulit in vanum animam suam, tollet benedictionem MEETH IEHVEH ex apud Deum. *Dicendi tropus mysterium subindicat, quod si non assequi, tamen consequi*

Benedictio

non piget: BERACHAH, *pro quo Latini identidem* benedictionem *reddunt, actionis operisq; omnis beatum felicemq; significat euentum; vt in plantatione fertilitatem, in pactione & pecuariæ rei cura salubritatem & fœcunditatem, in generis ac sobolis procreatione numerositatem, in humanæ salutis ratione faustitatem & prosperitatem, qualem Abrahæ promis-*

Gen. 12. Benedictio Abrahæ promissa.

sam accepimus: Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. *Sic enim exemplar*

Gal. 3.

habet. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. *Hanc verò benedictionem ex Verbi Dei hoc est Christi efficacitate, virtute, & communicatione sublatum acceptumq; iri subindicat Vates*; de apud Dominum; *De Verbo quod* in principio erat apud Deum, & Deus erat Verbum. *Benedictionem verò, sanctam filiorum Dei communionem intelligimus, quam diuina iustificatio à Deo salutis auctore gratis donata largitur,*

Iohan. 1.

& misericordiam à Deo salutari suo] VTSEDAKAH MEELOHEI IESVGHO, & misericordem iustitiam ab auctore, principe, & gubernatore salutis suæ. *Huius totius narrationis ac descriptionis viuum expressumq; exemplum, in Iacobi patris vita, fide, & moribus spectatum, quicumque imitati fuerint, certum, salutare, atque proprium demum experti agnoscent: namque vt ille per omnia tempora, quibus Iacobi, hoc est, humilis, modesti, ac deuoti serui, personam partesq; sustinuit, nihil absque Deo Domino vel votis concepit, vel studio egit, vel moribus ac vitæ consuetudine præstitit; atque hoc pacto & Israël audire & sibi visum Deum fateri, diuinæ misericordiæ acceptum retulit; ita omnes qui illius institerint vestigiis, persimilium à Deo munerum ac beneficiorum compotes euasuros pollicetur Vates.*

6. Hæc est generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Iacob.

DOR *vnum ex compluribus nominibus, quæ Latinus interpres vertit in*

in generatio, *ad vitæ morum, iudiciorum, ac temporum & studiorum com-* Generatio.
munionẽ potius, quàm ad generis vel sanguinem vel sobolem refertur. sic
dicimus DOR HAMABVL, generatio diluuij, DOR HAPEL AGAH, gene-
ratio diuisionis linguarũ. *Et illud clarissimum*: Non videbit quisquã de *Deut. 1.*
hominibus generationis huius pessimæ terram bonam, quam sub iura-
mento pollicitus sum patribus vestris. *Possunt & collegia & quæ vocantur*
cõmunitates hoc dici nomine. Tales igitur (ait Vates) oportet esse eos, qui pa-
tris Iacobi vestigiis insistẽtes, Dei in sancto monte visendã quærunt faciem;
tuam, *inquam*, ô Dominc, faciem. *namque in exemplari versu apostrophe*
auditur. Atqui oratio hæc ratioq; omnis insignem illam respicit Iacobi histo-
riæ partem: Interrogauit eum Iacob; Dic mihi, quo appellaris nomine? *Gen. 32.*
Respondit: Cur quæris nomen meum? & benedixit ei in eodem lo-
co. Vocauitque Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi Domi-
num facie ad faciem, & salua facta est anima mea. *vtpote quæ nihil* Iacobi
quicquam præsumpserat vanum, nihilq; poposcerat aut vouerat, nisi quod vota.
cum pietate, cum timore, cultũque Dei, stare posset commodè. Si fue-
rit Deus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & *Gen. 28.*
dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum,
reuersusque fuero prosperè ad domum patris mei; erit mihi Dominus
in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei;
cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. *id quod votum*
atque studium Deo probatum, ingens illa in imagine benedictio declarauit,
ab eodem agnita, & laudibus atque gratiis agendis commemorata. Deus *Gen. 32.*
Patris mei Abraham, & Deus patris mei Isaac: Domine, qui dixisti
mihi: Reuertere in terram tuam & in locum natiuitatis tuæ, & bene-
faciam tibi: minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua
quam expleuisti seruo tuo. In baculo meo transiui Iordanem istum: &
nunc cum duabus turmis regredior: *Atqui eodem quo hæc acta fuerant*
loco, & angelos primùm obuiam habuit, & à luctæ victoria, Israëlis, id est,
cum Deo potentis, nomen duxit. Mansit *enim ille* solus, & ecce vir lu-
ctabatur cum eo vsque manè. qui cùm videret quòd eum superare non
posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit. Dixitque ad
eum: Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Respondit: Non di-
mittam te, nisi benedixeris mihi. Ait ergo: Quod nomen est tibi?
Respondit: Iacob. At ille, Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur no-
men tuum, sed Israël: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto
magis contra homines præualebis? *Atque hac historia manifestè intel-* Iacobi mi-
ligimus Deum Iacobo piè, purè, ac studiosè quæsitum, vltro sese obuiam de- tatio &
disse, vltro felicitatem rerumq; copiam prouidisse, vltro etiam & victoriæ amplifica-
fortitudinisq; præconium, nomine quoque in melius mutato, concessisse. id tio omni-
quod exemplum omnibus propositum asseuerat Vates, qui Iacobi fidem, pio- bus genti-
tatem ac virtutem, fuerint studiosè ac sæpè imitati; neque illis tantùm, bus propo-
qui ex Iacobo secundùm carnem duxerint originem, sed etiam gentibus sita.
cunctis,

UNIVERSIDAD DE MURCIA

cunctis, quibus consimili via quæsitum Dominum, vbicumque locorum agentibus, vltro venientem sese daturum, suamq; faciem videndam ostensurum, Vates hic noster cum aliis prædixerunt. id quod sibi cognitum, veluti iam iam agi cœptum, per enthusiasmon Vates præcinit, & celebrat.

7. Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales; & introibit rex gloriæ.

Christi victoria omnibus gentibus salutaris.

Magnificam & faustissimam pompam Christi, de inimicis, inferno, morte, & peccato, victis, occisis & triumphatis, euangelij virtute & efficientia, per totum terrarum orbem processuram, præcinit & celebrat Vates; præscius & certus humanum genus ab eodem esse regenerandum, à quo primùm fuerat conditum: & quamquam in præteritis generationibus homines permisi fuerint ingredi vias suas, Deiq; illud efficacissimum nomen in vnam tantùm Israëlitarum terram sese recepisse visum sit (non quidem omni sui testimonio subducto) vbi tamen plenitudo temporis adfuit, Deus filium suum bonæ voluntatis hominibus vltro benedicentem, & iis qui propè & iis qui longè erant, salutiferum misit; qui quemadmodum quondam hostibus omnibus victis ac perditis Israëlis filios in promissam deduxit regionem, credentes videlicet ac deducenti obsecutos, ita etiam Iacobi imitatores omnes ab inimicorum vi, potentia, tyranide ac metu liberatos, in filiorum Dei regnum & gloriam adducturus fuit. id quod tam præstitum, Apostolis & sanctis omnibus, qui sunt in terra illius, testibus & prædicantibus gratulantibusq;, accepimus; quibus dictum imperatumq; à Rege ipso fuit: Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium [*bonum salutis nuntium*] omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. *Hunc igitur victorem, salutarem, triumphantemq; regem, omnes orbis terrarum regiones palàm summa cum lætitia venientem sesèq; vltro offerentem excipere monentur, inducta sublimis orationis imagine à regum olim triumphantium ac debellatas vrbes victoriaq; partas intrantium more, quibus ingressuris vel muri aperiri, vel noua & antiquis altiores portæ attolli, vel triumphales erigi & ad posteritatis memoriam dicari solent arcus. Concordat autem imago hæc elocutionisq; figura cum illo ab aliis Vatibus prædicto & proclamato monitu:* Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est. *Re autem iam indicata, verborum ad eandem accommodata ratio nobis habenda.* Attollite portas principes vestras] Principes *hoc loco idem quod supercilia vel summa portarũ capita siue limina interpretamur,* SEV SEGHARIM RASEICHEM. Attollite portæ capita vestra: *Altiores enim atque editiores animorum aditus, vetustatis antiquæ correctori & nouæ naturæ nouiq; mundi auctori Christo Deo homini, diuinæ bonitatis Pontifici, atque eidem hostium, inimicorum ac rebellantium*

Mar. vlt.

Victorum ac triumphantium regum in vrbium ingressu mos. *Isai. 40.*

Christi expectatio.

bellantium & euangelij contemptorum vindici iustissimo, augustiores inquam oportet patere animorum portas, quàm eidem quondam in minori longè victoria patuerant, cùm Israëlem, visibilibus perditis hostibus, in promissam regionem deductum, & in sedibus collocatum populum, concessis singulariter legibus & institutis, regendum suscipienti, Chananæarum vrbium portæ apertæ, & regum principumq; dedita concessere arces & regiæ: tunc enim quamquam verè, tamen futurorum agebatur imago; hac verò, quæ nunc prædicitur, pompa, veritas ipsa & res omnino cœlestis ac diuina agenda fuit, tanto præstantior & excellentior, quanto fluxis & caducis atque mortalibus æterna, solida, immortalia ac planè diuina præstantiora iudicantur. Terræ possessio Christiani regni imago.

Eleuamini portæ æternales] PITHHHEI, aperturas; GHOLAM, tempus, mundum, sæculum, & vniuscuiusque rei ætatem, durationem *item* & absconsionem *significat, vt iam alias monuimus. quæ quidem omnia pro Christi regis atque euangelij Dei maiestate angustiora & humiliora censentur, ac demum vetera obsoletaq; futura erant, sublimioribus melioribusq; succedentibus, ijsdemq; in æternum stabiliendis & permansuris. nisi enim illis dirutis meliores & nobiliores adornarentur aditus, regem gloriæ ingressurum frustra sperandum fuit. atque hoc illud spectat:* Sæculum. Itaque fratres mei & vos mortificati estis legi per corpus Christi, vt sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, vt fructificemus Deo. Cùm enim essemus in carne [*id est in* GHOLAM] passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris vt fructificarent morti. Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ. *Res quidem ipsa vna eademq; compluribus in locis, vario tamen imaginum figurarumq; exemplo, nunciatur prædicitur; expedienda, vel expedita narratur & commendatur.* Portas *itaque* GHOLAM æternales, *siue mundi, eleuari oportet ac sustolli ad regis gloriæ ingressum. porrò genus ipsum humanum, cuius caussa expeditio illa diuina facienda prædicitur, ex admiratione rogans docerique auens inducitur, ac deinde à Patribus, siue à Patrum monitoribus angelis, quemadmodum res habeat docetur.* *Rom.7.*

8. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

MELECH HACHABOD, *pro quo Latinus reddit*, Rex gloriæ, *magnificentissimum, amplissimum, & sublimem consultorem regemq; significat: quòd illa lingua possessiuis pro adiectiuis vsurpandis nominibus plus etiam & magis quandoque significet, quàm in aliis linguis adiectiuo indicetur nomine: præsertim cùm possessiuo singularitatis & adnotationis articulus præponitur,* HACHABOD *maximæ ac singularis gloriæ, amplitudinis, & amplificationis index: namque & actiuam & passiuam vim nomen* CHABOD *obtinet, id est, eam gloriam, qua quispiam amplificatus,* Possessiua pro adiectiuis. Gloria.

cognoscitur, & qua quispiam alium ornat & amplificat. estq; propriè ac præcipuè legitimum Deo vocabulum, hoc est, illi præcipuè tribuendum; cuius

Exod. 14. *rei complura passim reperiuntur exempla. vt*, Glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius: Scientque Ægyptij quia ego sum Dominus.

Ibid. *& rursum*, Ego indurabo cor Ægyptiorum, vt persequantur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, & in curribus & in equitibus illius. Et scient Ægyptij quia ego sum Dominus, cùm glorificatus fuero in Pharaone, & in curribus atque in equitibus eius. *Duplici autem exemplo Dei* CHABOD, *id est*, gloria, maiestas *& amplitudo cognoscitur; altero iudicij & animaduersionis in eos quos propria premit culpa (qualia in duobus iam citatis constant locis) altero misericordiæ, benignitatis, beneficentiæ, ac tutelæ, in eos quos credentes fidentesq; sibi atque obsecutos fouere & promouere constituit. ad quod illud pertinet;*

Exod. 16. Vespere scietis quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti; & manè videbitis gloriam Domini. *& post pauca*; Cumque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Israel, respexerunt ad solitudinem: & ecce gloria Domini apparuit in nube. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: Audiui murmurationes filiorum Israel, loquere ad eos: Vespere comedetis carnes, & manè saturabimini panibus; scietisq;

Deut. 5. quòd ego sum Dominus Deus vester. *Et illud*: Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster CHEBODO maiestatem & magnitudinem suam. vocem enim eius audiuimus de medio ignis, & probauimus hodie, quòd, loquente Deo cum homine, vixerit homo. *Idem quoque vocabulum hominibus interdum adscribitur, iis maximè, quibus auctoritatis ius atque decus à Deo concessum constat, parentibus præcipuè.* CHA-

Exod. 20. BOD ABICHAVE IMECHA. Honora patrem tuum & matrem

Malach. 1. tuam. *&*, Filius honorat patrem, & seruus dominum suum: si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? IM AB ANI AIEH CHEBODI. *Quocumque itaque iure, quacumque ratione, vocabulum hoc ad maiestatem, auctoritatem, & amplitudinem referatur, Deo Domino præcipuè tribuitur, vt gubernatori, vt victori, vt iudici ac vindici, vt salutari, tutelari, & prouidenti, vt patri denique.* Dominus fortis & potens, Dominus potens in prœlio] GHAZEH, Robustus, fortis, *& quidquid in hac significatione dici supremum potest.* GIBOR *verò non virtutem tantum, sed etiam spectatam significat dexteritatem, bellicis in rebus ac victoriis præcipuè cognitam, ideoq; expolitionis caussa repetitur.* IEHVEH GIBOR MILHHAMAH, Dominus potens in prœlio, *siue* potens prœlij. *Hispanicè ex verbo*, El Señor barragan de batalla. *Geminatam verò, imò amplissimam hoc in carmine celebrari Dei tum victoriam in durissimos & contumacissimos hostes (quorum tyrannide humanum genus oppressum laborabat, longè duriore quàm illa qua apud Aegyptios Israël quondam gemuerat) tùm etiam beneficentiam in modestos & pios, cunctis antiquis exemplis maiorem, mandata monitionis atq; prædictionis repetitione declaratur:*

9. Attol-

9. Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.

In magnis ijsdemq; certis rebus assęuerandis atque monendis, repetitio commodè & eleganter vsurpatur; siue ea simplici & vnico verbo, siue integra fiat oratione: in argumentationibus verò atque suasionibus eadem repetita oratio, antecedentis siue propositionis & consequentis loca occupat. Solet etiam in ipsis monitis & iussis argumentatio latere, vt in illo exemplo: Repetitio.

Ite igitur iuuenes linguis animisque fauentes,
Sertaque delubris & farta imponite cultris,
Ac molles ornate focos glebamque virentem. *Iuuenal. Satyr. xij.*

Simili autem tropo, quæ præcesserat monitio nunc iterum repetitur, cum assęuerationę iuris & caussæ iam explicatæ; videlicet oportere hominũ genus, promptum, præsens, idoneumq; se præstare, atque facile præbere venienti ad se regi fortissimo, efficacissimoq; piorum beatori & gubernatori, malorum contrà vindici & vltori potentissimo. Eleuamini portæ æternales] *in exemplari nonnulla variatio est cum coniunctione* VAV *illationis habente vicem*; VSEV PITHHHEI GHOLAM, Et tollite portæ mundi: *significat portas antiquas mundi nec dignas nec esse capaces introitus regis magni, magnifici, amplissimi, atq; amplificantis; qui veterem in nouum mutaturus mundũ, venire parat, cognitus quidem antea mundo ex multiplicis efficientiæ spectatis exẽplis, verùm illo misericordissimi seruatoris ac liberatoris & cæleste regnum largientis nomine nondum satis notus; donec ipsummet eam rem effecturum venire iuuit* in similitudinem hominum factum & habitu inuentum vt hominem, *atque adeò hominem* tentatum per omnia pro similitudine absque peccato, *& propterea minùs cognitum iis, quibus mundũ eodem quo antea tenore atque habitu tenere placuit:* In mundo *enim* erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. *quorum oratio, testimonium, atque professio sic habet:* Sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam verò non huius sæculi, neque principum huius sæculi qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum huius sæculi cognouit: si enim cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. *Id verò cùm iterum atque iterum roget mundus, cumq; iterum doceatur & moneatur, tamen non recipit.* VAV, i. *illationis vice.* *Philip. 2.* *Heb. 4.* *Iohan. 1.* *1. Cor. 2.*

10. Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.

Quis est iste rex gloriæ?] MI HV ZEH MELECH HACHABOD

BOD quis ipse iste rex gloriæ? *Singulariùs ac expressiùs quærenti, singularitas etiam naturæ, auctoritatis, & efficacitatis illius, de quo quæritur, indicatur: iste ipse, quem vos quæritis, necdum cognoscitis, & hominem inter homines in terris visum, ex apparente tantùm humilique specie non vltra humanam vicem habere existimatis; tamen idem est* IEHVEH Dominus ille, *à quo magna quondam & admiranda atque terribilia maiestatis potestatisque suæ, nunc verò maxima tum virtutis tum misericordiæ sunt edita exempla.* Dominus virtutum ipse est rex *magnæ ac singularis atque sibi propriæ* gloriæ. *Concluditur Psalmus interiectione,* ZZELAH, *alacritatem, gratulationem & asseuerationem significante, & quæ in publicis frequentabatur plausibus. Appellatur verò* Dominus virtutum, *siue* exercituum, *superiorum videlicet atque inferiorum, spiritualium & naturalium, ad nutum volentis Dei semper promptissimorum. de quibus iam aliàs nominatim dictum.*

IN PSALMVM XXIV.

GASPARI VELEZIO ALCOCERO, FRATRI IVRATO, S.

ANtiquum tuum propositum sæpe (scis) laudaui, conatum bonis verbis identidem renouabam & vrgebam, nunciam demum peractum tibi gratulor votum; qui post tot nauigatione & peregrinationibus consumptos annos, post coniugij non leues molestias perlatas ac diuino beneficio superatas, eam tandem vitæ sortem sis nactus, quam diu deliberatam atque prudenter optatam consultor & fautor Deus annuit; vt in Christiani sacerdotij collegio & ordine admisso, tibi vitæ quod reliquum dabitur, ei exercitationi impendatur, quæ sola Christiano ac pio dignissima viro iure existimatur: hoc est, assiduo sacrorum mysteriorum studio & cultui, cum sanctæ lectionis incomparabili oblectamento: quibus rebus agendis qui sese ritè & purè sancteque dediderint, eos cæteræ hominum penè infinitæ curæ vel fugiunt prorsus, vel rariùs & leuiùs vexant, donec ab illo subli-

sublimium curarum auctore spiritu penitus pulsæ, in alias mutentur planè cælestes, & omni humana æstimatione superiores: de quibus illud verè testatum; *Nostra autem conuersatio in cælis est, vnde etiam Saluatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundùm operationem, qua etiam possit subiicere sibi omnia.* Philip. 3. Ad quam profectò conditionem non humana opera aut industria comparandam, sed Dei munere ac liberalitate obtinendam, te promissorum fide & mandatorum obsequio animatum aspirare iam pridem persuasus, omnium studiorum nostrorum operam tui continente memoria promoueo, ab ipsa iuuenta sanctorum eloquiorum commemoratione nobiscum delectari solitum, nunc verò tam longis maris ac viarum interuallis disiunctum, animo salutatum, & commentarioli huius lectione suauiter refectum cupio. Vale, ex nota tibi secessus nostri Rupe, x. Kalend. Octobr. cIↃ. IↃ. XCVII.

ARGVMENTVM.

PRecationem continet Psalmus hic, Vatis vitam vitæq; actiones & labores atque studia, quidquid denique ad se pertinet, prouidentiæ, benignitati, atque tutelæ, & virtuti diuinæ commendantis & tradentis; cum professione & expositione partium, quibus in hac oratione fultus nitatur; hoc est, diuino IEHVEH *nomine: quod identidem appellat, efficacissimum & benignissimum sua sponte esse persuasus, & sua ipsius fide & spe constantissima, atque animi simplicitate & sanitate mentis; probitate præterea morum, quos quamquam puros & integros antecàto in tempore probare non posit propter humanæ carnis infirmitudinem, tamen innocentes fuisse asseuerat, & à fraude & iniuria abhorrentes prorsus. quibus vitiis inimicos aduersariosq; suos instructos, quamquam frequentes & potentes, tamen nihil sibi nocituros timet, fisus Dei iustitia & misericordia ac beneficentia & clementia. qui quamquam nullius hominis peccata non improbat, tamen simplicibus & sanæ mentis, præsertim ex errore peccantibus, & peccata agnoscentibus, confessis & corrigentibus ignoscit; atque doctrinam, disciplinam, & gratiam prouidet; qua ad meliora conuersi, veniam primùm, deinde iustificationem salutemq; impetrent: cæteris verò suam ipsorum peruersitatem contumaciamq; malitiam fraudi exitioq; esse sinit. Constat autem Psalmus duobus & viginti* Deus quibus ignoscat.

Acrostichia. *versibus acrostichis, numero & ordine antiquo literarum eleganter digestis: quæ ratio canendi in iis, quæ maximè memoria edisci & retineri oporteret, vsurpata obseruatur.*

1. Ad te Domine leuaui animam meam.

PRimo versu, eorum quæ toto Psalmo narranda atque peroranda sunt, ius, pondus, & momentum totum proponitur, & tanquam fundamentum quoddam firmissimũ iacitur, cui cætera superstructa innituntur. Indicatur cumprimis duplex persona, altera appellati, appellatis altera: quarum partibus componendis argumentationis totius vis ita firmatur, vt euentum bonum sua sponte polliceatur. Nominis enim IEHVEH *commemoratio, misericordiæ, benignitatis, efficacitatis, & veritatis certissimam significationem præfert: animæ vero poscentis ad id nomen, singularis, absoluta, & integra intentio, fidem, spem, & constantem fiduciam probat: atque ita vtriusque nominis partibus in medium productis & allegatis, optatum felicitatis fructum exspectari opportuneq; percipi consentaneum fuerit.* Mira virtutis diuinæ erga fideles exempla. *Admirabilia quippe spectata fuere semper exempla maximarum virtutum à Domino in hominibus testimonio fidei probatis editarum, eademq; consuetam naturæ vim & rationem superantia, & auctorem suum singularibus testantia documentis: vtpote quæ ex duobus principiis ambobusq; cælestibus proficiscantur, diuina videlicet voluntate & efficacitate, & fide, quæ & ipsa ex Dei virtute in humano animo ad similitudinem Dei facto concipitur.* Fides ex diuina virtute. Dei potentia. Luc. 1. Fidei vis. Marc. 9. *Nihil enim tam arduum, nihil tam peregrinum est, quod diuinæ virtutis efficacitatem superet: id quod hominibus per angelos affirmatum constat:* Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. *Nihil rursus tam factu difficile, quod fides impetrandum sibi despondeat, diuino eodemq; efficacissimo freta verbo:* Omnia possibilia sunt credenti. *Ductum igitur à duobus nominibus exordium, Dei videlicet misericordissimi & efficacissimi, atque animi orantis simplicissimi & intentissimi, fideq; instructissimi, attentionem & gratiam voluntatemq; solicitat eius qui oratur, hoc est, numinis vnici, simulq; commendationem totius parat causæ: cuius summam secundus complectitur versus:* Ad te IEHVEH misericordem & efficacem, leuaui animam meam] Leuare animam. *dicendi formula in sacra lingua est, cui in Latino sermone nullam aptiùs conuenire arbitramur, quàm illa: Votorum omnium integra summa in te solo atque vnico mihi constat, præter quem nihil velle, imò nec cogitare quidem aliud quicquam in animum induxi meum: te itaque solum peto, te appello, tuam vnicè imploro fidem. Petitionis autem summa ad impetrandam veniam, gratiam, & salutem: causæ enim genus mixtum est ex iudiciali atque suasorio: colores & argumenta, ex eius apud quem agitur, & eius qui agit, & aduersariorum personis, ducuntur. Apud quem agitur,* ELOHIM *appellatus, iudicis, gubernatoris, & principis nomine*

nomine & munere functus, partes suas integerrimè præstiturus creditur & speratur; eaq; spes fiduciam agenti firmat, & æquitatem patrocinium; conciliat; caussamq; munit contra fraudes, inuidiam, & improbitatem aduersariorum, qui non ex iure, sed ex maleuolentia atque potentia & copia agunt: ex quibus necesse est iniuriam proficisci. Quæstio enim est, vtrùm deceat iudicem integerrimum precibus & petitionibus animi simplicis & fidentis connuere, & inuidis, fraudulentis, atque improbis indulgere, quod cùm absurdum natura sit, meritò à postulante per negationem pronuntiatur: est itaque quæstionis illa summa.

2. Deus meus in te confido, non erubescam: neque irrideant me inimici mei.

Deus meus] ELOHAI, Princeps, gubernator, iudex, curatórque mei. *Suam verò spem, expectationem, & fiduciam omnem cum caussæ æquitate coniunctam, atque in appellatum iudicem patronumq; prorsus reiectam, indignam esse quæ deseratur, ait.* In te confido] BECHA BATAHHTHI. *verbum hoc deliberatam atque certam spem significat, qualem agricolæ ante semen iactum concipientes, laborem & sumptum omnem sementi faciundæ impendunt. de qua spe illud*: Debet in spe qui arat arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Spes autem non confundit. *Quod in Pauli epistolis legimus* non confundit, *idem significat atque hoc in versu*, non erubescam. *Latino sermone frustrari aliquem sua spe dicimus, atque etiam in eadem significatione erubescendi & pudefiendi verbis vtimur*; *vt*,

Spei certitudo. 1. Cor 9. Rom. 5. Erubescere.

Erubuit nempe hæc ceu fastidita repulsa. &,

—— Mulier sæuissima tunc est,
Cùm stimulos odio pudor admouet.

Spero atque confido fore, vt numquam me voti pæniteat, quinimo peracti gaudium ac lætitia exhilaret, confusis & pudefactis iis, qui mihi inuidentes aduersum & infelicem spei meæ cupiunt exitum, gauisuri nimium, si qualem ipsi fingunt, spectarint. Neque irrideant] GHALATS *Lætari & præ gaudio gestire atque exultare significat: vt in superiori Psalmo nono*: Et lætabor VEGHALETS BACH, & exultabo in te. *In alieno autem malo & incommodo risus, irrisio iure dici potest. Singularem verò rem suam quò rationibus & argumento firmiùs muniat, cum communi & publica piorum omnium caussa & re coniungit, atque ad notissimæ & spectatissimæ prouidentiæ frequentissima monumenta suum quoque colligi postulat exemplum.*

3. Etenim vniuersi qui sustinent te, non confundentur: confundantur omnes iniqua agentes superuacuè.

Antiquis & frequentibus quondam, imò semper, spectatum periculis

Legitima spe nemo frustratur.

riculis ait, *nullos eorum qui Dei efficacissimum legitimè expectarint auxilium, sua fuisse frustratos spe; imò contrà desertores, inconstantes, & vacillantes fide & spe, atque etiam simulatores & hypocritas, infelici quidem, verum digno suæ fraudis erubuisse euentu, ac nimis tandem serò frustrati, mali ac perperam cœpti pœnituisse consilij. Ex huiusmodi itaq; duplici vtriusque partium exitu, constanter ab obseruantibus spectato, simplicitatis probitatisq; suæ causam Deo probandam, fouendam, & promouendam se sperare assueuerat.* Etenim, *idem valet quod* siquidem, *siue quod*, imò, vniuersi qui sustinent te. KAVEICHA, expectantes te *(non enim qui*

Matth. 10 *inceperit, sed* qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit) vniuersi, *nullo excepto cuius contradictorium fuerit, aliquem huiusmodi simplici & constante expectatione frustratum. cuius exemplum indicari posse negat Sapiens ille*:

Eccli. 2. Respicite filij nationes hominum; & scitote quia nullus sperauit in Domino, & confusus est. Quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est? aut quis inuocauit eum, & despexit illum? quoniam pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata: & protector est omnibus exquirentibus se in veritate. *Verba*

Futuri significatio. *in hoc versu futuri temporis tam negata quàm affirmata doctrinæ rationem obtinent, atque perpetuitatem adstruunt significatæ rei, sicut sæpe aliàs monuimus.* Confundantur, confundentur, *nullo excepto*, omnes iniqua agentes superuacuè, HABOGEDIM defectores, desertores, & callidi simulatores, *& fictionum, fraudum, fallaciarumq; artifices, qui magno studio, labore & industria in fallendo positis, demumque irritis, frustrantur.* BAGAD *remittere, negligere, ac deficere, & à monstrato specimine degenerare significat. vt ex Iobi in mendaces amicos nota-*

Iob 6. *tione obseruare est:* Fratres mei BEGEDV præterierunt me, sicut torrens qui raptim transit in conuallibus. *idem valet* præterierunt *atque* mentiti sunt, defecerunt, deseruerunt fidem, præuaricati sunt officium. Superuacuè, RIKAM, frustra, vanè, mendosè, *atque id quod ab interprete nostro in iniquè agentes versum est verbum, idem ille, quem modò*

Eccli. 2. *citabamus, Sapiens ita explicabat:* Væ duplici corde, & labijs scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus vijs. Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo; & ideo non protegentur ab eo. Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas. Et quid facient cùm inspicere cœperit Dominus? Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius: & qui diligunt illum, conseruabunt viam illius. Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei: & qui diligunt

Proborum & simulatorum discrimen. eum replebuntur lege ipsius. *Hoc enim probi & simplices ab improbis & simulatoribus distant, quod isti suis tantum studentes corruptelis, nihil minùs agunt seriò quàm vt diuinæ obsequantur legi, quamquam obsequij, imò & virtutis fuco vitium celent suum: illi verò naturæ humanæ illatum vitium perosi, corrigere student, & corrigendi modum diligenter scisciti, medicum*

medicum suæ sanitatis verum & efficacem solicitant, identidemq; appellant auctorem Deum.

4. Vias tuas Domine demonstra mihi; & semitas tuas edoce me.

Ægrotantis animi salutem ab vno Deo IEHVEH *præstari, vnicum & incommutabile verum est*, in ipso *enim* vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet. *Verùm non solùm oportet medicum Deum sese opportunæ facientem præbere, sed & ægrotum ipsum & astantes, & ea quæ exteriùs circumstant. quæ omnia vt rectè ineantur & vsurpentur, ipsius medici doctrinam & præscriptionem, imò & imitationem poscunt, aliàs non legitimo & conuenienti futura vsui. Solent autem periti ac fideles medici non solùm quæ agenda ægroto, quæ vitanda, quæue sumenda, aut parcenda sunt, dictare & imperare; sed modum etiam docere, singulasq; explicare & indicare circumstantias actionum & exercitationum, tempora ac momenta prospicere, cauere & admonere. omnia quæ cùm rectè & adamussim ab ægroto curantur & obseruantur, medico animum, voluntatem, & studium ad dandam sanationi operam incitant, diligentiamq; adaugent. Quam similitudinem à corporis curatione ad animi exoptatam salutem transferens Vates noster, ita medicum verum peritissimum efficacissimumq; rogat, interrogat, & deprecatur:* Vias tuas Domine demonstra mihi; & semitas tuas edoce me] *Simplicissimum benignissimumq; medicum & vitæ magistrum Deum, simplicitas ac probitas hominum delectat, & ad gratiam & opem conferendam conciliat. suam autem fidem in Deum, suamq; simplicitatem pectoris, quas initio professus fuerat Vates, iam exponendo amplificat: dixerat enim,* Ad te Domine leuaui animam meam. *quo dicto votorum summam sibi in Domino constitutam certamq; declarauerat; id verò ita à se dictum exponit, vt non solùm felicitatem ipsam à Deo expectet, sed partium à se felicitatis impetrandæ caussa præstandarum rationem non ex se ipse inuenire aut aliunde quàm ab ipso Domino misericorde & efficaci petere velit, doceriq; exoptet. Concordat autem petitio hæc planè cum documento illo:* Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei; & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. *vtpote cuius doctrinam sine vlla exceptione verissimam & vtilissimam verè persuasi fuerint. Agendarum & faciendarum ratio rerum, in sacra lingua viæ nomine significatur, vulgatissima ac nulli ferè ignota nominis vsurpatione, nec à Græco Latinoq; sermone aliena. vt illud est:*

Aegrotantis partes. *Iohan. 1.*

Eccli. 2.

Via.

—— Nam quæ terraque marique
Adquirenda putes, breuior via conferet illi.

Iuuen. 11.

Et apud Comicum:

Vt redeat in viam.

Ter. Andr.

ὁδὸς μέθοδος. *Hinc etiam cuiuslibet disciplinæ comparãdæ ars & ratio, ὁδὸς & μέθοδος dicta. Humanæ verò vitæ ad salutem felicitatemq́ instruendæ doctrina, non*

Salutis via. *ex vniuscuiusque consilio aut arbitrio vel opinione, sed ex certis præceptis & institutis Dei constat: quorum non solùm notitiam habere, sed virtutem, studium, exercitationemq́ præstare oportet cum, qui suæ consulit saluti. Præceptorum autem disciplinam viæ nomen, virtutis & exercitationis*

Semita. *exempla semitarum vocabulum significat: vtriusque autem partis peritum & compotem, doctore, magistro, indice ac duce Domino, se fieri exoptat & poscit, qua postulatione idoneum aptumq́ ad præcipiendum, ac promptum*

Gratia. *& expeditum ad agendum præstari se rogat. id quod sine spiritus gratia non obtinetur: gratia autem nulli probo sanæq́ mentis & auidè exoptanti riteq́ petenti negatur.* Demonstra mihi] HODIGHENI, no-

Scientiæ vocabulũ. tifica mihi, nosse ac scire me fac. *Sanctarum legum & scripturarum notitia, in sacro sermone scientia vocatur; quæ prima in discipulo Dei lau-*

2. Cor. 11. *datur pars. vt*; Etsi imperitus sermone, sed non scientia. &, Æmu-

Rom. 10. lationem Dei habent, sed non secundùm scientiam. *Verùm notitia hæc non satis discipulum probat, nisi exercitatione, moribus,*

1. Cor. 8. *consuetudineq́ firmetur; namque aliàs* scientia *sola* inflat. Si quis se existimat scire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire. *Hunc verò sciendi modum, atque hanc agendi ex scientia rationem,* ORHHOTH *Vates noster vocat; Latinus, quem commentamur, inter-*

Iter & via. *pres, plerumque* semitas *dicit, Latiniùs & planiùs* itinera *dici possunt: quippe viæ notitia ab itineribus distincta est; illa in cognitione, hæc verò*

Viatoris boni partes *in vsura ponitur: vtraque simul veram definit peritiam, & boni viatoris decus rectè petit & precium.* ARAHH iter facere *dicimus, vnde* OREAHH viator, *non qui viam nouerit modò, sed qui ingressus expertusq́ teneat, quantum vnoquoque die commodè ac ritè confici possit, vbi consistendum, vbi properandum vt nullibi cessandum, vt pericula cauenda & vitanda, aut quemadmodum superanda, quo commeata, quo viatico, & quatenus vtendum, & cætera quæ viatoribus neque ignorata neque neglecta esse oportet, atque in experiẽti viro explorata & comperta commendantur. Has legitimi* OREAHH, *id est*, iter agentis, *partes à Domino monstrante doceri se poscit Vates;* LAMEDENI doce me, *monstrando ac ducendo, siue translatio ad medicum, siue ad vitæ ducem & consuetudinis magistrum referatur. nullum autem vel gradum facere, vel mouere pedem aut figere, sine doctore ac duce Domino se velle ait Vates: quem tali fide taliq́ sui ipsius deditione planè ac plenè propitium sibi reddere satagit.*

5. Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus saluator meus, & te sustinui tota die.

Se prorsus in Dei disciplinam erudiendum & instruendum recipi, & ad salutis vsque finem perpetuis itineribus perduci optat, vtpotè nihil aliunde aut expetere aut habere cogitantem, nec alio vsquam respicientem; certum quidem,

quidem, nec salutis alium sibi esse auctorem, nec petendæ illius rationis ac modi alium quempiam doctorem ac monstratorem, nisi vnicum Deum gubernatoremq;, sibi immota mente propositum. Dirige me] HADRICH. *Verbum* DARACH *est* terere, incedere; *vnde* DERECH via *dicta, quòd calcetur ac teratur, in tertia coniugatione* HIDRICH in via aliquem ponere, *quæ si recta est & ad certum quietis locum ducit,* vera *siue* veritas *vocatur. Vera autem via & veritas ipsa Christus est, ad* Via vera. *quem lex tota, Vates omnes, & cuncta sancta dirigunt & intendunt scripta. Huius cognoscendi rationem, & modum quærendi, indicari, tradi, & monstrari sibi poscit Vates; eaq; caussa nec vllum in itineribus passum, sine doctrina, ductu, atque gratia & voluntate Dei, confiteri se velle ait.* Quia tu es Deus ELOHAI gubernator meus, Saluator meus. *Duobus modis duo verba hæc in exemplari codice sine punctis descripto legi possunt; vel* ELOHAI IESVGHI: *atque ita noster legisse videtur interpres, dum reddit, Deus saluator Deus; vel,* ELOHEI IESVGHI, *vt hodieq; cum punctis legimus,* Deus princeps & gubernator salutis meæ: *vtraque lectione idem ponderis præstante, posteriore tamen signatius.* Te sustinui tota die] *Itineri faciundo opportunum tempus* Itineris *dies est, propter lucem, cuius beneficio sine offensione inceditur. S. S. E.* Ortus est sol, & congregati sunt: & in cubilibus suis collocabuntur *feræ.* Psal. 103. Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam, vsque ad vesperum. *Et Christus ipse lux vera ait,* Nónne duodecim sunt horæ diei? Iohan. 11. Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt: si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. *Spiritualem igitur & cælestem lucem veræ viæ peragendæ opportunam expetere se ait Vates, à Deoq; sibi porrigi rogat. idq; obtinendi caussa & studio, totum huius mundi diem se expectasse ait.* Sustinui KAVITHI, expectaui, *nequid tota hac die, sine ductu monituq; tuo incederem. Quæ verò fiducia, quòue iure fretus, ipse sibi gratiam hanc & opem concedi poscat, præoccupationis figura vsus allegat; sola inquam bonitate, liberalitate, atque misericordia, & beneficentiæ natura Domino (quem identidem appellat) propria & antiquissima, quam nulla alia posteriori nec naturæ diuinæ conuenienti, sed aliunde foris allato impedimento, retineri à consueto more & cursu deceat.*

6. Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt.

Antiquum obtinere, inter summas bonitatis & virtutis putatur laudes; optimo autem & efficacissimo Domino IEHVEH *virtutum omnium (quæ tamen coæternæ sunt) antiquissimum editum est benignitatis, amoris, & misericordiarum exemplum; quod cunctarum quæ in mundo sunt rerum, atque adeò mundi ipsius creandi & condendi, caussa initiumq;* Antiquum obtinere. Misericordia Dei. Mundi visibilis causs-

primum fuit: mundum verò, præsertim inferiorem, visibilem mutabilemq́; hunc totum (ideo GHOLAM *dictum) hominum fouendorum & ad summam felicitatem promouendorum ergò factum, notius est quàm vt argumentatione vlla inficiari quisquam valeat. Has itaque proprias & antiquissimas Domino cumprimis tributas virtutes & artes, fauere patrocinariq́; sibi exoptat, expetit, & postulat, suamq́; in causſam primas allegat: quidquid verò minoris aut aduersæ oppositionis censeatur, quod illis Dei virtutibus intercedere aut refragari possit, excipit ac deprecatur.*

Reminiscere] ZECHOR, memineris. *Verbum* ZACHAR *efficacem atque præsentem præstantemq́; recordationem significat; differtq́; à* PAKAD, *quòd istud de re aliquamdiu quadamtenus omissa demumq́; repetita, dicatur; hoc verò de re, quæ numquam mente excidens, opportunè semper ad præsentem causſam allegatur: illud interpres noster sæpe in* visitare, *posterius verò in* meminisse *vel* recordari *solet vertere. alterius exemplum,* Visitauit Dominus Saram. *Et,* Visitans, visitaui vos, & vidi omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto. *&,* Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. *alterius verò:* Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti. *Atqui miserationes Domini, hoc est, summam illam ac diuinam benignitatem antiquissimas esse, ipsa Dei natura testatur: quæ amor, bonitas, & liberalitas, atque misericordia, iure nominatur: nec enim diuinam sine amore vel cogitari naturam fas fuerit.* Miserationes *in sancta lingua* RAHHAMIM *dicuntur, quæ ex verbo Latinè* viscera *vocare est; nec verò quælibet promiscuè viscera, sed materna, quibus nihil in humanis amantius excogitari potest. talia viscera Deo per imaginem vsurpatus sermo adscribit. Fieri autem nequit, vt quæ viscera Deo tribuuntur, quocumq; modo res ipsa habeat, amare & miserari ac benefacere vel desinant vel cessent, idq́; omittant agere, quod ante orbem conditum egerant, imò & semper agunt.*

Meminisse. Visitare. *Gen.* 21. *Exod* 3. *Luc.* 1. *Psal.* 118. Miserationes Dei. Dei viscera.

Misericordiarum tuarum] HHEZZDEICHA. *Ex miserationibus tamquam ex origine propria misericordiæ, vt ex fontibus liquores, manant: itaque* RAHHAMIM *ad affectum,* HHEZZEDIM *verò ad effectum referuntur. vtraque autem à sæculo sunt, vtpote ex quibus primis* GHOLAM (*siue* sæculum *siue* mundus *vocetur*) *editus fuerit: prima enim diuina bonitas in illo admirabili consilio consideratur, deinde verò sapientia, cui coniuncta efficacitas; non quòd alia aliam tempore præcesserit virtus (quippe diuina omnia æterna extra tempus constant) sed quòd ipsa ordinis ratio ita distingui postulet, atque ita à Patribus commendetur.*

Misericordia virtutes diuinas præcedere vt dicatur.

Psal. 144. Suauis Dominus vniuersis: & miserationes eius super omnia opera eius. Quæ à sæculo sunt] *Immobilitatem, constantiam, æternamq́; integritatem diuinarum virtutum non obscurè significat verbum* Sunt. *verum exemplaris lectio apertissimè id ac firmissimè adstruit.* CHI MEGHOLAM HEMAH. Nam præ sæculo *siue* præ mundo ipsæ eædem. *Ante mundum, propriæ igitur, & antiquissimæ, perpetuæ, & immu-*

immutabiles ipsamet: nam quod ex antiquo variat aut mutatur, minùs legitimè dicitur ipsummet. quæ igitur ita propria atque perpetua, solida integraq; supt, minoribus, leuibus, vanis, futilibus, ac inconstantibus, præsertim verò alienis, atque adeò auctori suo iam inuisis ac detestabilibus, vel frangi, vel minui, vel quoquo modo cedere aut componi admoueriue minimè conuenit. Huius autem farinæ, imò & fecis ac sortis ea sunt quæcumque à me olim iuuene, & per ætatem naturamq; fragili & imprudente, nequiter stultéue sunt admissa peccata.

7. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Secundùm misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine.

Bonitas diuina.

Ex rationibus ac virtutibus admirabili Dei nomini IEHVEH *attributis vna est bonitas dicta, ad quam illa referuntur, quæ Mosis præconio & confessione declarata*: Cumque descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo, inuocans nomen [IEHVEH] Domini. quo transeunte coram eo, ait [IEHVEH IEHVEH] Dominator Domine Deus misericors & clemens, patiens, & multæ miserationis, ac verax: qui custodis misericordiam in millia: qui aufers iniquitatem & scelera atque peccata, nullusque apud te per se innocens est: qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam & quartam generationem. *Id quod sapiens ex parte interpretatus ita exponit:* Multum enim valere, tibi soli supererat semper, & virtuti brachij tui quis resistet? Quoniam tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram. Sed misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur? Parcis autem omnibus: quoniam tua sunt Domine, qui amas animas. O quàm bonus & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus! ideoq; eos qui exerrant, partibus corripis: & de quibus peccant, admones & alloqueris; vt relicta malitia, credãt in te Domine. *Has igitur diuinæ bonitatis siue rationes, siue artes aut partes æternas, constãtes, ac sui semper similes, peccatis delictisq; suis opponit Vates, tanquam tenebris, quæ à luce ita diuiduntur, vt nullo pacto simul ac pariter consistere possint. Subindicat etiam sibi iampridem peccatorum ac delictorum agnitione perculso vitæ in melius institutam & initam correctionem, dum suæ iuuentutis peccata, ac delicta confessus, à Domini memoria posci quàm longissimè esse amota (idem autem verbum* ZACHAR *in superiori & in hoc vsurpat versu, quod ad rem perpetua memoria præsentem referri adnotabamus) non conuenire enim, vt cui propriæ miserationes,*

Exod. 34.

Sap. 11.

tiones, æternæ misericordiæ semper præsentes cordi ac sibi sunt constantes: eidem, quæ alius imprudens & impotens quondam admiserit iuuenis peccata, & iam vir ætate & animo maturior detestetur, in memoria simul habeantur, sed id potius retineatur, quod proprium ipsi, qui oratur, est: quodque in iis ipsis de quibus agitur argumentis, poni, exerceri, spectariq; solet, hoc est, in præteritis condonandis erratis, & in melioris vitæ rationibus declarandis, tradendis & cauendis, gratiæq; communicatione tuuandis & commonendis: hæc enim & his persimilia multa diuinæ bonitatis atque misericordiæ propria & æterna esse munia, nullis hominum tenebris, præsertim non contumacium, turbanda, confundenda, aut impedienda.

delicta] HHATAOTH, errata *siue* peccata, ignorantias meas] PISGHAI. PESAGH *minus amplum vocabulum quàm* HHATAH: *namque hoc, erratum, delictumq; omne tanquam genus complectitur; illud, vna ex speciebus est, quæ non solùm peccatum communiter, sed ex studio & quasi deliberato atque certo proposito admissum: pro quo Latinus interpres hic* ignorantiam, *aliàs* culpam *reddit. vt* MAHPESAGHI VMAH HHATATHI. Quam ob culpam meam & quod ob peccatum meum sic exarsisti super me? *idem alio loco in* scelus & iniquitatem *vertit. vt*, Obsecro vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum & peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te. Nos quoque oramus vt seruis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. *Certè tria nomina humani vitij varium partum significantia ita distinxit Moses,* NOSEH GHAVON, PESAGH VEHHATAH; *noster verò interpres ita Latinè expressit*: Qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata. *Itaque tam communia ac temeraria in genere peccata, quàm certo ac singulari proposito admissa delicta, coram diuinæ misericordiæ & bonitatis memoria euanescere & aboleri, perpetuamq; benignitatis lucem vincere, valere, sibique patrocinari, ac fauere postulat Vates. Siquidem minus maiori, breue æterno, luci tenebras, imò quod nihil in se est & prorsus vanum, veræ virtuti & solidæ atque efficacissimæ concedere par est. hoc itaque vt concinnum, decens, ac verum appellat & allegat pro se Vates.* Secundùm misericordiam tuam memento mei tu] *Recordationem & memoriam tuam non equidem declino, imò eam aduersum me constare posco & obsecro; non tamen vt à peccatis & sceleribus meis, verùm à misericordia tua exercitam, non propter meum vitium, sed* propter bonitatē tuam IEHVEH Domine. *Atque hæc quæ explicauimus argumenta, ex decori & æqui atque dignitatis locis petita sunt: quorum apud summos principes magna in petitionibus habetur ad persuasionem efficacia. in quo dicendi genere ferè totus hic versatur Psalmus. his autem locis consuetudo eius apud quem agitur, & in eadem re facilitas, proximam tenent sedem, & multum etiam appellatæ & allegatæ patrocinantur. Plurimum quippe fiduciæ & spei postulantis adiumenti affert, præiudiciorum in eadem re factorum vel certa notitia ac publica, vel apertum & promptum exemplum. certam autem notitiam*

Peccatum.

Ignorātia. Culpa.

Gen. 31. Scelus.

Iniquitas.

Ibid. 50.

Exod. 34.

titiam etiam sine proximo haberi licet exemplo, si modò eius ingenium & mores constent, ex quibus in præsentem rem posimus argumentari. Si enim Deus errantes corrigere prius quàm punire solet, & idipsum præcipuè postulat, iure sperari posit & orari, vt antiquis peccatis eorum, qui ad se reuertuntur, ignoscat. hæc est argumentationis propositio: quam etiam assumptum superat, illud videlicet.

8. Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Bonitatis benefacere, rectitudinis dirigere munus & officium est: suum namque singula rerum genera opus & sortiuntur & fouent. Naturæ autem diuinæ, bonitas & rectitudo propriæ sunt virtutes: neque enim IEHVEH *cognoscitur, nisi idem bonus & rectus cognoscatur. Bonitas igitur ac rectitudo in sibi consonis exercentur vltro beneficiis, & in hoc etiam concordant, vt simul moneant, doceant & corrigant, eos qui in vitæ ac morum via aberrant, verum locum quò via tendat ostendendo & indicando, & quà procedendum sit idem monendo. id verò vt bonitatis ac rectitudinis diuinæ verè proprium est; ita vsu ipso venit atque factum constat. quippe doctrinâ à Deo in lege & per Vates tradita hoc ipsum perpetuò agitur. Quia igitur* TOB Bonus dulcisque Dominus ac rectus *propterea* IOREH erudit, docet, instruit, & informat HHATAIM, Peccantes in via. *Ex hac Vatis explicatione & argumentatione manifestè docemur, legem à Deo non damnationis, sed correctionis caussa datam: quæ peccata quidem indicet, dissuadeat, & corrigere ac detestari doceat, & morũ viam instruat; qua ad eum tendatur, qui solus peccata mundi sublaturus in eadem prædicebatur lege; non quòd lex quemptam ad vnguem perfecerit, & absoluerit, sed quòd mites & sanæ mentis homines, quemadmodum piè, innocenter, ac probè viuere oporteat, docuerit, atque absolutam salutem à se poscendam vouendamq; tradiderit, & qua via petere & consequi conueniat, declarauerit.*

Errantium correctio ex diuina bonitate.

Legis diuinæ caussa.

9. Diriget mansuetos in iudicio: docebit mites vias suas.

Duplex quidem legis munus; alterum primarium & legislatori ipsi bono ac recto præcipuè optatum, id est, vitiorum notatio ac doctrina virtutis: vtraque salutis caussa proposita & commẽdata, idq; cum promissis: alterum verò maledictio, cũ comminationibus pœnarum. illud prius, mites, probos nihil sibi arrogantes tangit, afficit, & instruit: hoc verò posterius, impios, improbos, contumaces q; consequitur. Priorem igitur partem vti Deo propriorem & planè gratam, sibi verò & caussæ suæ vnicè opportunam tenet & vrget Vates. Diriget mansuetos] *Futurum verbum in natura omni, maximè verò diuina, perpetuitatem adsignificat.* In iudicio] BEMISPAT, in iure, ratione, decore, ac debito officio: *namque hoc signifi-*

Legis munera.

Iudicium

significat nomen MISPAT, *pro quo Latinus interpres* iudicium *sæpe reddit. & hoc quidem docet & agit in legis doctrina Deus; atque insuper discipulorum genus, quos erudiendos & instruendos in iudicio suscipit, viam suam, quæ ad veram felicitatem ducit, hoc est, Christum, docet petendum & sperandum.* Perditio vnde. Docebit] *docere solet: quippe qui ipse idem sponte sua pacis & non afflictionis cogitationes semper cogitat, neminiq; vltro infert inferréue parat, sed neque vult, malum. Boni enim natura & ingenium bene semper vult & parat, libenterq; offert: quidquid præter hoc euenerit, non ex Domini voluntate aut studio, sed ex malitia & proteruitate* Eccls. 3. *hominũ proficiscitur.* Qui *enim* amat periculum, in illo peribit. Perditio Ose. 13. tua [*ait Deus*] *ex te* Israël: tantummodo in me auxilium tuum. *Denique Deus, pacis, benignitatis, clementiæ, beneuolentiæ sibi adscribit voluntatem: hoc docere idem, monere, suadere, adiuuare, ac promouere amat; quidquid agit, huc spectat, eodemq; tendit, quaq; via ipse homines quærit seruandos, eadem illos ad se venire & se occursurum petere clamat. quare fidenter à se quæri ait, nec solùm fidenter, verùm etiam rectè ac sapienter. siquidem*

10. Vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas, requirentibus testamentum eius & testimonia eius.

Iter. *Dicebamus* ORHHOTH itinera *Latinè dici. Iter autem dicitur, totum interuallum à loco vnde proficiscimur, ad institutum vsque quietu locum vel portum; vt,*

Horat. Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas.

dicitur etiam iter, quantum viæ vna conficitur die; vt,

Hoc iter ignaui diuisimus altiùs, ac nos
Præcinctis, vnum.

& milites longis vel breuibus itineribus incessisse *narrantur. Aliquando viæ & itineris nomina ab auctoribus confunduntur Latinis; atque ita* Via. *noster interpres alterum pro altero nonnumquam vsurpat. Verùm sancta lingua perpetuò sibi in his constat verbis: siue igitur itinera ipsa integra ab initio ad finem vsque viarum & spatij interualla mente cogitationeq; præsumamus, siue singulorum dierum distributas consideremus partes, idq;* Viæ Domini. *per omnem Domini doctrinam (quæ fædere sanciundo ac testimonijs & documentis exponendis traditur) examinemus, illud profectò patebit & luce clarius apparebit,* Vniuersas vias IEHVEH, misericordiæ *rationes in enunciandis promissis, & veritatis documenta atque exempla in ijsdem præstandis promissis continere: quidquid aliter videatur aut disputetur vel decernatur, ab eo qui non quæsierit ac tenuerit* testamentum Domini & testimonia eius, *sed ad hominum doctrinas & mandata animum studiúmque diuerterit. quæ profectò prauitas in meras demum tenebras atque in regionem vmbræ mortis, imò in mortem ipsam, sui detrudit sectatores.*

Contrà

Contrà verò ijs qui ex sacrosancta Dei doctrina misericordiæ fidem conceperint, eam officio & obsequio testati fuerint, quamuis magno ac tortuoso errore antea palantibus, tamen ad veram redeuntibus viam, certissima spe de propitiationis diuinæ beneficio agendum ac perseuerandum fuerit: non quidem propria ipsorum, sed maxima nominis illius IEHVEH *virtute atque efficacitate fretis; id quod ita sibi creditum & persuasum Vates pronuntiat noster.*

11. Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim.

Extremis morbis & malis extrema conuenit adhiberi medicamenta ac remedia: fuerit igitur quantumcumque grauis erroris mei prauitas, tamen diuini nominis istius IEHVEH *bonitas ac rectitudo tanta est, vt à nulla vnquam prauitatis vi, non dicam vinci, sed nec retineri aut retardari, in moráue poni possit, modò errantis ipsius non obsistat contumacia. Mihi quidem nulla iam superest confitenti atque deprecato prauitatem, qua auersus à recta via, id est, à morum rectitudine, antea vixerim, & nomen istud tuum appellanti magnum, & in magnis erroribus condonandis agnoscendum. Tota hæc oratio translatis pronuntiatur verbis. Namque* GHAVON, *pro quo hic Latinè legimus* peccato, *prauitatem à recto discrepantem significat: siue ea in ædificiis aut in viarum progressu, siue in moribus, qui vel praui vel recti dicuntur, siue in iudicijs & opinionibus, consilijs ac sententijs, quacumque denique in re notetur. Verbum verò* propitiaberis, *ex exemplari* ZZELAHHTHA, *quo Latinius quàm* ignosces *interpretemur, non sanè nobis nunc succurrit aliud, nec vmquam in sacris reperitur scriptis alij coniunctum nomini nisi* GHAVON *vel* HHATHAH, *id est,* prauitati, *vel* errori, *videturq; in rerum natura spectare vel pondus vel robur: namque praua impositio pondere diriguntur, & errores siue tortuositates viatorum emendantur retractione vel restitutione in viam: vtrumque autem Dei nomini* IEHVEH *conuenit, pondus videlicet, cui nullum componi possit aliud; ac robur, vis, & efficacitas. vtrumque etiam ad misericordiam referendum, qua Deus* RAB HEZZED, *magnus siue multus misericordiæ, vocari gaudet. In exemplari versu & sermone, argumentationis artificium indicat coniunctio* VAV: *quæ cum aliis etiam officijs collectioni deseruit.* VEZZELAHTHA, itaque propitiaberis *siue* ignosces peccato meo, LEGHAVONI, prauitati meæ: multum est enim. *Quamquam Latinè* multum, *ad peccatum & ad nomen referri liceat, in exemplari lingua ad ipsum nomen refertur: namque* GHAVON *fœmineæ formationis est,* RAB *verò masculinam præfert faciem, & cum* SEM *nomine eiusdem generis conuenit. Significat autem* RAB multum *&* magnum; *vnde* RABBI magnus *ac* multus meus, *qui ob eam significationem Latinè quoque* magister *voca-*

Hippocr. aphorism.

Deus multus misericordiæ.

VAV coniunctio.

Magister

tur. est enim argumentationis enthymema huius modi ac ponderis: Domine, tuum istud misericordiæ nomen magnum ac multum est; ergo idem semper obtinens prauitati meæ ignoscet. deest propositio ad syllogismum; quæ, tametsi non expressa, intelligitur: id quod multum ac magnum efficacitate est, in multis ac magnis agendis & ferendis exercetur: id verò de diuini nominis efficacitate maxima vsque adeò verum, certum, proprium, constansq; semper est, vt non modò ipse sibi sperare, sed alios etiam docere & ad similis beneficij communionem vocare & adhortari non dubitet Vates, conditione proposita pietatis ac sinceræ sanæq; mentis: cui conditioni diuina numquam defuit bonitas, nec vnquam defutura asseueratur.

12. Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit ei in via quam elegit.

Ex expectatore diuinæ bonitatis in suam salutem, in præconem & inuitatorem procedit, gestitq; alios ad similis beneficij cognitionem ac testimonium pellicere, promissorum diuinorum cumulata etiam declaratione: quæ non solùm ad ipsos, qui inuocantur, sed eorundem posteritatem sint pertentura. Quis est homo qui timet Dominum] MI ZEH HAIS IRA IEHVEH, Quis iste quispiam vir timebit Dominum. *Quamquam conditionis non exprimatur coniunctio, tamen conditionalis oratio & argumentatio est; artificiumq; celando, plus efficit ac persuadet, quàm si palàm prætulerit. Idem autem valet oratio illa,* Quis iste quispiam vir timebit Dominum, *atque illa; Da virum quempiam timentem Dominum; quem si dederis, illud illi præstitum iri manifestis vincam exemplis:* legem statuit ei in via quam elegit. *In exemplari idem verbum repetitur quod antea fuerat vsurpatum,* IARAH IORENO BEDERECH IEBAHHER, instruet illum in via [quam] eliget, *modò ille timeat Dominum, & colat animo ac veneretur eum qui* IEHVEH *nominatur, optetq; salutis viam suæ: cuius ineundæ, tenendæ, & peragendæ rationem ab eodem discet præceptore Domino, legis primum & prophetarum oraculis instructus, deinde alia sublimiore & excellentiore*
1. Cor. 12. *doctrina perficiendus, de qua Paulus:* Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. *Nam quod semel Dominus cum piis & sui timentibus egit, id in posterum quin agat & perficiat non mutabit vnquam: atqui timentes se, Abrahamum, Isaacum, & Iacobum, ipse, vt scimus, deduxit; nec solùm incolumes per totam vitam tutatus est, verùm etiam diuitiis, opibus, & honore auxit & amplificauit, atque eam quam promiserat nepotibus illorum terram, hereditatis iure addictam tradidit: igitur qui in minoribus, hoc est, terrenis rebus, efficacem & commodum atque tutorem sese præbuit, idem in melioribus ac sublimioribus bonis diuinæq; bonitati propioribus, atque in hereditate felicissima, naturæ, voluntati, & benignitati, ac misericordiæ, & beneficentiæ suæ abundè profectò satisfaciet, antiquumq;*

quumq; semper obtinebit, vt, Qui timet Dominum, *optatam salutis doceatur viam; & illud vlterius, quod consequitur, obtineat: videlicet*,

13. Anima eius in bonis demorabitur: & semen eius hereditabit terram.

Tutelæ Dei exempla in patribus.

Ex antiquo & celebratissimo diuinæ prouidentiæ, tutelæ, ac veritatis erga patres illos pios exemplo, certam, & vtilem, piis omnibus parat, adornat, & asseuerat doctrinam fidei atque spei de salute æterna ipsis eorumq; veracibus filiis & imitatoribus præstanda. Namque patres illos vbique locorum tutos & à Deo custoditos sacræ commemorant historiæ; illudq; per totam huius mortalis vitæ peregrinationem obseruatur perpetuum. Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges. Nolite tangere christos meos, & in prophetis meis nolite malignari. *ita vt nullibi terrarum, gentium, ac regnorum, non securi peregrinarentur; siue vt hospites diutiùs hærentes, siue vt viatores pernoctantes; non solùm hac diuina tutela semper vsi fuere, sed vita demum functi cum summa pace & quiete atque lubente migratione; id significantibus historiis:* Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ, centum sexaginta quinque anni; & deficiens mortuus est in senectute bona, prouectæque ætatis & plenus dierum; congregatusque est ad populum suum. Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum; consumptusque ætate mortuus est, & appositus populo suo senex & plenus dierum. *Iacob etiam in Aegyptum proficiscens*, venit ad puteum iuramenti, & mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, audiuit eum per visionem noctis vocantem se, & dicentem sibi: Iacob, Iacob. Cui respondit: Ecce adsum. Ait illi Deus: Ego sum fortissimus Deus patris tui; noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem: Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos. *Rursus etiam*: Factique sunt omnes dies vitæ illius centum quadraginta septem annorum. *& inferiùs*: Finitisq; mandatis, quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, & obiit: appositusque est ad populum suum. *Quas historias, vt non obscurè Psalmo hoc significatas, commentando nobis describere minimè piguit ad huius ac subsequentium explicationem versuum, in quibus diuinæ tutelæ promissum pij & probi omnes exspectare monentur adusque extremam vitæ horam certissimum atque opportunum prorsus: nam quod Latinè legimus,* Anima eius in bonis demorabitur, *ex exemplari lectione versum est,* NAPHZO BETOB THALIN *siue* LVN. *Verbum* LVN, Quiescere *siue* cessare *significat; & ferè semper in hac significatione ad iter facientes viatoresue refertur, quocumque illi loco noctu ad posteram vsque lucem quiescant: hoc ad eam rem vsurpari obseruamus verbum, cuius exempla sunt:* Declinate in domum pueri vestri, & manete ibi. qui di-

Psal. 104.

Gen. 25.

Ibid. 35.

Ibid. 46.

Ibid. 47.

Ibid. 49.

Diuina tutela piis promissa.

Gen. 19.

Ibid. 24. xerunt; Minimè, sed in platea manebimus. Est in domo Patris tui locus ad manendum, *&c.* Palearum quoque & fœni plurimum est
Ibid. 28. apud nos, & locus spatiosus est ad manendum. Cumque veniſſet
Exod. 23. [Iacob] ad quemdam locum, & vellet in eo requiescere. Nec remanebit adeps solemnitatis meæ vsque mane. Neque residebit manè
Ibid. 34. *Leuit* 19. de victima solemnitatis Phasę. Non morabitur opus mercenarij tui
Iob 31. apud te vsque mane. Foris non mansit peregrinus, ostium meum
Ioſue 4. viatori patuit. *&*, In loco castrorum, vbi fixeritis hac nocte tentoria. *His Latinis verbis*, remanere, quiescere, residere, morari, figere nocte tentoria, *& aliis, verbi* LVN *in Latinis vulgatis versionibus reperimus indicatam significationem, quæ in eundem recidunt sensum cum verbo* Pernoctare. *Animam verò, quæ in sancta lingua* NEPHES *dicitur, eam animi portionem definiuimus esse, qua homo viuit, quasentit, qua vitæ huius fungitur officiis, aut fruitur commodis, vel incommodis læditur. qualia sunt esurire, expleri, sitire, bibere, moueri, quiescere, vigilare, dormire, & complura alia. Siue igitur singula vitæ huius mortalis itinera, quæ interdiu aguntur, noctu verò cessant & intermittuntur, intelligamus: siue ipsum postremum vitæ, qui in mortem quasi in noctem quandam desinit, & ad clariorem lucem exspectandam sopitur; siue vtrumque coniungamus, vt certè coniungimus, pij ac Dominum timentis viri anima in bono pernoctabit, ac demorabitur diuinæ prouidentiæ præsidio vbique tuta, antiquorum Patrum instar habens, & persimilis illis erga posteritatem suam beneficij certa migrabit; quorum vt semen promissam patriam demum obtinens hæreditatis iure partitum narratur, sic* semen eius, *quem pium & probum appellamus virum,* hæreditabit terram, *illam nouam, promissam, & à Iohanne in Apocalypsi decantatam, atque à Christo mitibus adiudicatam. de cuius terræ mysteriis nunc agere non arbitramur opportunum; illud tantùm contenti audire & asserere cum Vate nostro, quidquid homines & quantum de diuinorum promissorum & sanctis fœderibus teneant, siue penitus intelligant, siue cortice tenus ac rudi interpretatione suboleant, totum tamen reapse & miris modis opportunè præstitum iri piis ac mitibus Dominum timentibus.*

Terra promissa. *Apocal.* 21. *Matth.* 5.

14. Firmamentum est Dominus timentibus eum: & testamentum ipsius vt manifestetur illis.

Patribus omnia in figura contigere.

Quidquid olim Patribus & Vatibus traditum vel præstitum re vera constitit, imago tamen fuit arcani consilij de salute hominum perficiendi & præstandi. Vt illis itaque diuina semper adfuit & fauit bonitas, omniq; peregrinationum periculo ac discrimine superato, demum bonus contigit vitæ huius animalis finis, & illorum quoque semini promissæ terræ possessio tributa fuit; ita etiam arcanum illud salutis & felicitatis æternæ fœdus, in illis ipsis antiquis adumbratum exemplis, integrum Domino constat, atque

Felicitas æterna quibus promissa.

ijs para-

ijs paratum qui se timuerint, & purè coluerint; paratum inquam, suo reuelandum ac declarandum tempore. hoc est quod à Vate nostro tanquam totius disputationis collectio summa confirmatur. Itaque ZZOD IEHVEH, secretum arcanumque misericordis Domini *(qui apparuit quidem* Exod. 6. *Abraham, Isaac, & Iacob in* EL SADAI, *sed nomen suum* IEHVEH *non indicauit eis) illud inquam* arcanum *(pro quo interpres noster* firmamentum *posuit) atque illud* testamentum, *siue pactum, siue fœdus cum Patribus initum,* timentibus eum *repositum paratumque manet,* vt manifestetur illis; LEHODI GHAM, notum faciendum illis. *Id quod verè præstitum, sancti illi læti & admirati gratulabundique contestantur.* My- Coloss. 1. sterium, quod absconditum fuit à sæculis & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias sacramenti huius in gentibus, quod est Christus in vobis spes gloriæ. *In huiusmodi autem piorum atque mitiorum Dominumque timentium gregem sese cùm numerarit Vates, eiusdem cum illis omnibus fidei atque spei firmitudine fretum, beneficij ac secreti diuini participem euasurum exspectat; atque in tanti muneris demum obtinendi argumentum, vitæ quoque huius breuis incommoda & ab aduersarijs atque inimicis & inuidis structas insidias intentaque pericula superaturum confidit ac prædicit.*

15. Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.

Ex inchoata initio thesi ad hypothesin transierat, id est, ex singulari & propria caussa communem in vniuersum arripuerat doctrinam, de misericordiæ diuinæ promisso & veritate erga pios cunctos, de tutelæ perpetuæ opportunitate, de propria materia, in qua libentissimè versatur, & præcipuè spectatur bonitas & clementia, id est, in magnis & plurimis peccatis propter pœnitentiam condonandis, de prouidentiæ singularis argumentis ac signis in maximo atque humanis viribus desperato periculo: quæ omnia cum rationibus disseruerit, atque exemplis firmarit; in suam ipsius vtilitatem sigillatim deinceps vsurpans, Deumque rursus compellans, sibi fausta, felicia, certa, & communicata poscit, orat, ac vouet. Primùm verò cùm se multis vndique periculis & insidiis vallari ac propè iam impediri in vita sentiret, quæ nec solus perrumpere valeat, nec humano auxilio vitare aut euadere possit, auiculæ aucupis rete & cassibus implicatæ instar cælum semper ad Dominum intentis oculis, suspicere se ait. Quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos] *vt via pedibus, ita vitæ cursus consiliis & cogitationibus conficitur; illis retia, huic improba acta vel propria vel aliena præpedimento sunt: remedium autem vtrique malo, ad Dominum Dominique doctrinam mentem animumque semper habere intentum. Vt verò auiculæ retibus impeditæ querula voce laborem produnt suum, & auxilium suo poscunt modo; sic etiam ipse Deum spectat, & ad ærumnarum suarum miserationem appellat.*

16. Respice in me, & miserere mei: quoniam vnicus & pauper sum ego.

Deus pauperum tutor.

In lege Deus pauperiorum & afflictorum studiosum ac misericordem curatorem tutoremq́; sese professus erat. quas partes in suam salutem Vates citat, & sollicitat, vt sibi legitimè conuenientes, quod pauper & humilis atque afflictus (namque hæc omnia nomen GHANI *significat) item quod solus & solitarius, id quod ad miserationem commouendam validioris impulsus est: quippe magnanimi ac fortes principes & iudices indigniùs ferre & celerius propulsare solent iniurias à pluribus & potentioribus pauperiori & singulari illatas homini, nedum Deus efficacissimè & maturrimè*

Psal. 10. *idem agens præstet; de quo scriptum,* Tibi derelictus est pauper. *Igitur sic habens Vates, in se respicere primùm, deinde id quod consecutum iri sperat, misereri sui, atque hæc eodem quo poscit, ordine agi expetit, de diuina miseratione fidens, atque sibi persuasus, Deum benignissimum præsentium laborum spectaculo commotum, ad misericordiam & opem ferendam promptiùs & citiùs quàm ad antiquorum errorum castigationem conuersum iri; vtpote cui semper promptior ac nullo tempore cessans exercendæ misericor-*

Habac. 3. *diæ voluntas.* Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis. *Itaque laborum suorum præsentis exempli ad ferendam opem, potiùs quàm prioris peccatorum ad inferendam vltionem, habiturum rationem appellat; vel vtrique parti ita consuli exposcit, vt laboribus & miseriis opem ferendo præsentibus, peccatis iam præteritis ignoscatur: vtrumque enim proprium esse misericordiæ munus & officium ex legis doctrina cognouit.*

17. Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me.

Duo verba in sacra lingua TSARAH *&* TSAKAH *angorem & pressuram significant, eo discrimine (nam sæpe translatione vsurpantur) vt* TSARAH *angustam vallationem, vnde effugium non patet, intelligamus:* TSAKAH *verò siue* METSVKAH *(vtraque enim forma reperitur) compressionem vndiquaque coactam & constrictam dicamus. Hispanicè priùs vocabulum* apprieto, *posterius verò* entretallamiento, *interpretari licet. Est igitur* TSARA angustia, *quæ cùm ad animum refertur,* cura grauis *dici possit;* METSVRAH *verò ad corpus relatum* pressura *siue* compressio, *ad animum translatum dicetur* anxietas, *longè quàm* cura *durior ac difficilior affectus. Conditionis igitur extremæ, qua tenetur, imaginem duobus istis nominibus exprimit Vates, curarum in corde grauissimarum & multiplicium, tum ex peccatorum pœnitentia, tum ex corrupto illo & antiquo deprauationis humanæ morbo, atque ex laborum sensu profectarum, nec non & anxietatum tam animum quàm corpus prementium, propter inimicorum inuisibilium & visibilium frequentiam, vi-*

res, &

UNIVERSIDAD DE MURCIA

res, & impetum: atque ita se duplici hoc malo afflictum significat, vt neutra pars ad cogitandum & prouidendum cauendumq; alteri locum, spatium, tempus, modumue concedat, nec nisi vtrique Deus medeatur morbo, atque ei prius, qui sensum propius premit & vexat, occurrat, actum prorsus de se intelligat. Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt] *Sat superq; mihi laboris ac negotij cū multis ac magnis curis, quibus interius circūdatus & vallatus vexor; iis autem quo minus intendam animum, complura exterius illata mala & incommoda impediunt, nisi tu istis maturè succurras, vt ea parte alleuatus alteri quoque tecum agendæ vacem. Tota oratio transl.* Aegrotantium anxietas & vota.

lata est ab ægrotante homine, qui cùm peccatorum conscientia prematur, adeò tamen membris dolet, & morbi vexatur vi, vt præ dolore & anxietate minùs attentè de animi cogitet ægritudine. Solet autem is plerumque de doloris primùm sensu cum Deo deprecabundus paciscì, & de animi ac morum in posterum correctione vouere. De necessitatibus meis erue me] *pro* METSVKOTH *necessitates reddidit interpres noster: quo nomine extremam & impotentem significare voluit afflictionem. A magnitudine laborum & afflictionis, quæ solus ac singularis patitur, ad misericordiæ ciendam opem argumentatus est; eandem porrò argumentationem & petitionem ex comparatione personarum impensius munit & amplificat; personarum, inquam, & suæ quæ vexatur, & eorum per quos vexatur: in qua compositione multa indicat, quæ se potius quàm aduersarios iuuandum & misericordia afficiendum commendent. Illud cumprimis pro certo* Prouidentiæ ratio.

statuit, omnia hominum acta & facta à Deo cognosci & curari, atque vnicuique pro rerum suarum ratione consuli & prouideri, miseris & afflictis misericordiam impendi, iniurioſis & improbis dignas scelerum & iniuriarum irrogari pœnas. Hæc igitur cùm ita verè habeant, à Deo suis rationibus atque integro tractanda iure minimè dubitat; quare vtriusque simul partis rationes, vitia, modos, causſasq; cognosci postulat: quibus examinatis & perspectis, certissimam sibi diuinæ misericordiæ opem sperat & precatur affuturam. Præfert autem petitionis huius formula singulare illud adnotationeq; dignum; quod singuli qui præcesserint, quiq; subsequentur versus, propriam alphabethi antiqui literam, vnde incipiantur vendicant: hæc verò petitio duobus est instructa versibus, vtroque ab eadem littera RES, *imò & ab eadem voce inchoata:*

18. REAEH, Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte vniuersa delicta mea.

19. REAEH, Vide *siue* Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt; & odio iniquo oderunt me.

Primum igitur simile versus initiū, eodemq; modo repetitū, proborum atq; improborū causſas, acta, facta & cogitata, pari virtute, auctoritate, & integritate à Deo, vtpote sapientissimo iudice, spectari & cognosci, idq; vno atq; eodem

eodem simplicissimo obtutu : verùm non pari expediri iudicio ; sed aliorum causſas ex misericordia decerni , nempe humilium, afflictorum & oppressorum, atque corrigendæ vitæ studio calentium ; aliorum verò , superborum videlicet, arrogantium , & iniuriosorum delicta legitimis coërceri animaduersionibus ac suppliciis. Quare sibi diuinam inspectionem & examinationem priorem postulat , vtpote appellanti & postulanti, atque adeò, si mora intercedat , periclitanti ; inimicis deinde suis eodem tempore adhiberi , nimirum potentibus , frequentibus , & securiùs agere opinatis , ac nihil minùs quàm de Deo diuinoq; iudicio cogitantibus , imo pietate omni contempta, in iniurias incumbentibus, nec laborem aliis allatum vel damnum datum, nec malum à se illatum ex alia cogitatione quàm ex prauo nocendi studio parantibus. Quoniam multiplicati sunt , *plures & potentes ac præualidi.* CHIRABBV, *contra vnum , humilem , & inopem : quam verò ob rem ? quámue ob causſam ? numquid , vt me nominis tui auctoritate vel iudicio ac sententia corripiant? nihil minus. Cur autem? mala mens,* Odium duplex. *malus animus , ex mero ac solo inuidiæ odio. Est enim duplex odium , vel ex eius culpa , in quem struitur , profectum ; vel ex eius , à quo suscipitur, malignitate & iniusta inuidia , aut cupiditate & prauitate ; quale latronum, sicariorum, & ambitiosorum notatur ac deprehenditur. prius illud iustum habetur , modò nec misericordiam interturbet , nec æquitatis excedat fines. hoc verò alterum iniustissimum in sancta lingua* SINEAH HHA-Odium iniuriosum MATS, *Latinè*, iniuriosum odium *dicitur , siue* liuidissima & improbissima inuidia*: quæ si etiam in beneficos & probos beneq; merentes grassetur,* SINEAH HINAM, odium gratis , *vocatur . quale hominum improbissimorum aduersum se Christus incensum notans, ait* ; Quia oderunt me gratis. Odium gratis. Ioan. 15. *Itaque illis nulla lex, nulla fauet ratio, vtpote dolosis, nec ex iure aliquo nisi mera malitia agentibus; mihi verò vna fauet spes , in te vnum tuamq; misericordiam reposita: patrocinantur autem duæ , quæ à me stant, partes tibi semper gratæ ac defensæ,* simplicitas & innocentia , *non ficta aut simulata, sed veræ, ac tibi, quē vnum cum illis suspicio, notissimæ.*

20. Custodi animam meam, & erue me : non erubescam, quoniam speraui in te.

Petitionis totius epilogum , tribus his adornat versibus , summam rei quam petit & partium quibus fulcitur complexus . Res de qua agitur, magna atque ipsi extrema est , nempe anima siue vita , qua homini carius esse nihil in terris potest : ea verò omni humana carens ope , sola diuinæ tutelæ spe & exspectatione tanquam vnico præsidio nititur ; quod si desit, nec certo probetur euentu , in alterum ex duobus notis incidere pronum fuerit , vel vt dicatur Deus non omnibus in se ritè sperantibus & fidentibus adesse & opitulari, atque ita spes interdum frustrari & confundi putetur (id quod vt absurdissimum prorsus diuinæ misericordiæ magnitudo & maiestas minimè tolerabit aut permittet: non erubescam quoniam speraui in te.

quippe

quippe hoc semper tibi proprium est ritè ac legitimè sperantes in te nunquam deserere) sin verò non eueniat, nec de Deo vnquam recta spes & fiducia deserta aut neglecta credatur, alterum reliquum est, fraudem dolumue ei, qui perfugium præsidiumq; Dei petierat, quominus nactus demum fuerit, obstitisse. Istiusmodi autem exceptione depellenda, tanquam à se alienissima, simplicitatem probitatemq; profitetur certissimas ac verissimas, easq; in spei & fiduciæ suæ signum, pignus, & examen, atque adeò in diuinæ prouidentiæ ac veritatis argumentum producit, profitetur, ac definit.

21. Innocentes & recti adhæserunt mihi: quia sustinui te.

Orantes quid appellare & allegare soleãt.

Solent qui honesta orantes poscunt, auctoritatem, facultatem, voluntatemq; diuinam cumprimis appellare, atque proposita & præsente in re exoptare ac præscribere comprobandam: ad quam etiam præscriptionem, si quid quod à se stare posit officij ac pignoris in promptu fecerit, producere & allegare non dubitant: imò id ipsum pro certo vtrarumque partium examine præfigendo statuunt; quod nisi ex præscripto eueniat, alterius vel vtriusque nominis fidem laborare consequitur. Quam rationem olim Ezechias obtinens, innocentiam, sedulitatem, ac simplicitatem allegabat propriam. Et dixit: Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. *Eodem quoque pacto ac modo Elias Deum ad certam veritatis diuinæ atque sui ipsius comprobationem præscripto signo firmandam compellabat.* Domine Deus Abraham, Isaac, & Israël, ostende hodie, quia tu es Deus Israël & ego seruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me Domine, exaudi me; vt discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, & tu conuertisti cor eorum iterum. *Ab hac etiam ratione illa Iesu Christi ante Lazari suscitandi signum gratulatoria precatio fiat.* Pater gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi; vt credant quia tu me misisti. *Certa itaque spes atque certæ fiduciæ singulari exemplo definita & præscripta, vtrarumq; partium, sperantis videlicet & eius in quo sperabatur, conuenientiam peculiari ac notabili argumento declarandam adornat. Huic autem siue spei siue expectationi vocandæ verbum* KAVAH *inseruit, idem significans quod singulariter, attentè, atque definita in re cuiusquam virtutem & efficientiam vel fidem vel alias officium aut beneficium expectare. Latinè autem si quod vocabulum huic rei affinem significationem præfert, illud arbitramur esse,* expectare *cum obseruatione, siue* obseruare *certo in exemplo. Igitur cùm nec diuinæ opis fidem quemquam legitimè implorantem fallere, Vates affirmet, nec se non purè ac ritè implorare asserat, idq; Deo notum, perspectum, & probatum sentiat, publicè, ac palàm eueniu ipso ac præsente exemplo monstrari postulat.* Innocentes & recti adhæserunt mihi] *Latinus interpres concretum quod vocatur, pro abs-*

Ezechias. *Isai.* 38.

Elias. 3. *Reg.* 18.

Ioan. 11.

tracto, siue adiectiuum pro substantiuo posuisse videtur. THAM VEI ASAR IETSERVNI: *vtrumque nomen singulare*: Sanum *siue* simplex & rectum custodierunt me. *Olim in iudiciis moris fuit, amicos & notos partium ad vadimonia rogatos ducere, qui fauendo adessent; atque isti propriè aduocati dicebantur: quorum auctoritatis & grauitatis ratio à iudicibus vel in tota causa vel in parte habebatur. Plenæ sunt oratorum actiones huiusmodi aduocatorum compellationibus & allegationibus: in sacris quoque historiis non obscura significatio eiusdem consuetudinis apud reges obseruatur; vt in Thecoite muliere, cui Ioabus quanquam dissimulatus aderat: & in Absalonis ambitu, atque aliis exemplis. Eandem verò sua in causa nunc exprimens imaginem Vates, duos pro se præsentes allegat aduocatos, quorum ratio semper apud iudicem Deum grata & efficax habita: vt in Abimelechi deprecatione obseruare est, cui sanitas mentis & facti innocentia atque simplicitas valde ad veniam impetrandam fauerunt.* In simplicitate cordis mei & munditia manuum mearum feci hoc. Dixitque ad eum Deus: Ego scio quòd simplici corde feceris, & ideo custodiui te, ne peccares in me; & non dimisi vt tangeres eam. *Huius itaque allegationis instar Vates ad causam communem, hoc est, diuinæ fidei ac suam, obtinendam non solùm exprimit, sed in expectationis legitimæ atque obseruationis argumentum definitum præscribit.* innocens & rectum, *siue* sanitas mentis & rectitudo actionum, adhæserunt mihi, *vt aduocati, siue* custodierunt me. Quia sustinui te] CHI KAVITHICHA Quando quidem expectaui te. *nam* KAVAH *Verbum à Latino interprete sæpe vertitur in* expectare: *vt*, Expectans expectaui Dominum. *&*, Expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas. *aliquando in* sustinere, *vt in hoc loco; interdum etiam in* spes, patientia, munitio, mora, perfectio, præstolari. *ita vnum idemq; vocabulum primæuæ linguæ, certa constantiq; ratione variè in alium sermonem translatum, non mirum fuerit negotium facere iis, qui primæ & exemplaris linguæ facultate fuerint destituti. quo labore certè carent, vel qui fontes ipsos norunt ac petunt, vel qui nescire quàm ringi malunt; nisi quòd posteriores isti alio nocentiore malo hoc est inuidia infecti, aliorum insidiari solent industriæ. Denique Vatis nostri singularis & priuata inspeciem causa, re vera autem in exemplo cunctorum communis piorum, firmissimo & vniuersali fulcimine admoto firmata peroratur, artificioso; constabilitur argumento; præsidio videlicet inexpugnabili propositi consilij atque promissi Dei, qui quondam Israëlem à se ornatum, defendendum quoque & vndiquaque muniendum incolumemq; seruandum receperat. Israëlis autem nomen non vni tantùm viro proprium, sed compluribus, imò & innumeris commune Deus idem inditor fore voluerat, cunctis videlicet qui Iacobi instar vnum sibi optarent, præponerent, atque fide constituerent numen, patronum, tutorem, & beatorem Deum: cuius nomini & virtuti se suaq; commendarent omnia. atque huius vniuersalis Israëlis nomine, ratione, ac iure sese contentum*

Aduocati propriè qui dicti.

Aduocati apud Deū qui. *Gen.* 20.

Psal. 39. *Isai.* 5. *Ierem.* 29. *Zach.* 9. 2. *Par.* 29. *Iob* 4. 7. 17.

Linguæ primæuæ vtilitas.

Israëlis nomen.

UNIVERSIDAD DE MURCIA

tum affirmans, priuilegiis etiam & conditionibus iuuari ac frui postulat, vtpote qui & ipse in Israëlis censu sese quoque affirmet positum.

22. Libera Deus, Israël, ex omnibus tribulationibus suis.

Israëlis præsidium. Gen. 32.

Qua nocte Iacobus constitutum iam pridem sibi principem, tutorem & patronum atque dominum ita compellauerat Deum: Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo, ne fortè veniens percutiat matrem cum filiis. Tu locutus es, quòd benefaceres mihi, & dilatares semen meum sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest. *Eadem nocte ante posteram lucem audiuit*: Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis? *Idem verò post Sichimorum cladem à filiis patratam, Cananæorum inuidiæ certum periculum diuinæ tutelæ protectione sola euasit*. Cumque profecti essent, ter- Gen. 35.
ror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates. & non sunt ausi persequi recedentes. *id quod vnicum præsidium certum ac perpetuum sibi paullò ante mortem fassus, ad liberos posteros q; suos tutandos pertinere, idem orabat atque vouebat*. Deus qui pascit me ab adolescentia mea Ibid. 43.
vsque in præsentem diem, angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomen meum. *Igitur & sanguinis & fidei ac pietatis iure & pacto, idem à Deo impositum, ornatum, atque assertum nomen, pro se quoque facere; atque suas cum communibus totius Deo electi populi partes coniunctas, diuinæ singularis prouidentiæ ac virtutis & efficientiæ præsidio, incolumes tutari & asseri denique poscit, confidit, vouet, & commendat.*

IN PSALMVM XXV.

D. IACOBO GOMEZIO MATRITIO EPISCOPO PACENSI S.

MVltis iam pridem nominibus mihi colendus ac suspiciendus cùm sis, vir præstantissime, sæpiùs etiam aliàs per literas & amicitiæ obseruantiæque officia salutatus, nullo hactenus certo ac singulari munusculo exceptus fuisti: quod posteritatis memoriæ meum erga te animum iudiciumque testaretur; erga te inquam patronum

tronum Præsulemque primarium meum. in cuius ego sacra nunc ditione, ortus, natus, & ab infantia educatus, ac frequenter in iuuenta versatus fui: quamquam sub aliis tunc episcopis; quorum tu memoriam & laudes non solùm repræsentas, verùm etiam notis præis ac superas exemplis, pietatis in Deum, studij & integritatis in commisso grege regendo, atque bonis instruendo moribus & institutis; delectis præterea & egregiis curando administris, atque vnici summi Pastoris animorum Iesu Christi (si quicquam præclari corruptius hoc seculum admitteret) referre satagis & conaris imaginem. Verùm aliorum generum præstandi muneris, cùm nec mihi conditionis qua viuo tenuitas copiam concesserit, nec istius Ordinis præstantia egeat, eius quæ diuino beneficio me attigit facultatis, inutilem quidem seruum (fateor) tamen sanæ mentis & circa pauca hæc fidelem, partem aliquam nomini tuo inscriptam, meæque gratitudinis monumentum, vt spero & voueo, futuram Ecclesiæ sanctæ, cui me totum debeo ac tradidi, tua præsulis mei manu sacrandam consigno; id est, Commentariolum in Dauidis vigesimum quintum Psalmum; elegantem quidem cæterosque illius Vatis omnes referentem, & singulari argumento munus officiumque vestrum præsulum piorum, iudicum, principum, ac magistratuum, non multis versibus, at cõcinnis exprimentem verbis. Cuius orationi partibusque singulis explicandis cùm nec mens nec mihi suffecerit ingenium, nec suscepta ab initio operis breuitas plus veniæ, nec otij plus ætas ac tempus concesserint; tamen Dei, cui conatus nostros præcipuè probari expetimus, clementia freti, & istius animi candore ac paterno in nos amore confisi, munusculi nostri tenuitatem boni consulturo tibi gratam speramus futuram. Vale, ex Rupe nostra apud Aracenam. Nonis Octobr. CIↃ. IↃ. XCVII.

ARGVMENTVM.

Pietatis doctrinæ summa.

Fidelis & pij viri oratio est, vitæ actionumq; suarum rationem summamq; omnem Deo commendantis; agnoscentis quidem interim exceptiones multarum partium, quæ ad exactam naturæ humanæ perfectionem in se requiruntur, propter infirmitudinem & insolentiam carnis, mortalibus Adamiq; degeneris posteris commune

mune vitium; nihilominus verò sanitatem probitatemq́, mentis & sceleris ac mali doli odium professi, morum quoque in melius correctionem sedulò conati ac molientis, atque hoc studio misericordis Dei promissis fidentis & constanter innixi: cuius virtute & munere humanum genus ab humili, sordida, atque impotente seruitute ad spiritus liberam ingenuitatem transferatur.

1. Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: & in Domino sperans non infirmabor.

TOtius orationis argumentum summum, versus primus exordij vice complectitur. in quo Vates vitæ caussæq́, suæ rationem Dei iudicio examinandam primùm, deinde misericordiæ diuinæ tutandam atque adeò promouendam & amplificandam commendat. Caussæ autem genus iudiciale est colore mixto tractatum. Quæstio verò summa vnica & simplex est, Possitne mortalis homo quispiam integerrimum iudicium Dei optare, adire, & appellare, idemq́, subire audeat, cum scriptum sit, Numquid iustificari potest homo homo comparatus Deo? aut apparere mundus natus de muliere? Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius; quanto magis homo putredo, aut filius hominis vermis? *Qua doctrina tanquam vera constituta & concessa, duobus nihilominus coloribus, diuinum iudicium hominibus destinatum, cunctisq́, necessariò subeundum, fideli & pio cuiuis cum boni euentus præsumptione & spe subire non formidandum, imò libenter optandum, & expetendum, exemplo suo declarat & profitetur Vates. Alter autem color, quamuis minùs efficax, defensio innocentiæ est: quæ quamquam neminem exactè iustum constituat, tamen si requiratur, caussa cadere necesse fuerit: si verò verè prolata indicetur & comprobetur, hominem quidem probum statuere valet, seruili tamen & ingrata conditione non seclusum: sicut scriptum est:* Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. *Itaque partem istam hominibus communis sensus compotibus ad iudicium Dei afferri oportere intelligimus, non quidem vt probandæ caussæ idoneam, tamen vt necessariam prorsus, & à iudice exactam; cui si alterius coloris partes adiunctæ suffragentur, felicem & commodum iudicij exspectari conuenit exitum. Est autem color alter, isq́, efficacissimus, firmissima de misericordia diuina fides atque spes. Priorem colorem fiduciam, posteriorem verò fidelem spem Latinè vocare licet. vtrumque autem ad suas agendas partes à Vate ritè allegatum optimeq́, cessurum primi huius versus propositio præsumit.* Iudica me Domine] *Nomen* IEHVEH *in caussam primum appellatum, bonum promittit omen; vtpote clementiam, misericordiam, & liberationis ac salutis voluntatem, ex propria significatione pollicitum. Cuius nominis præsumpta virtute ac veritate, iudicium fidelibus*

Dei iudicium. *Iob* 25.

Innocentiæ vsus & fructus.

Luc. 17.

libenter subeundum fuerit. A persona itaque, munere, & officio electi iudicis, causæ ducitur primum initium, & gratia atque attentio captatur ab ipsius causam dicentis partibus, candore videlicet & simplicitate animi, maximè verò à fide & spe bonitatis eius, quem iterum appellat IEHVEH.

Quoniam ego in innocentia mea ingressus sum] BETHAMI

Ambulare. HALACTHI, in sanitate mea ambulaui. HALACH *Verbum à pedum incessu ad animum transfertur, & vitæ ac morum consuetudinem significat, inde nomen* HALACHAH *in scholis pro consuetudine & communi more vsurpatum: nec tamen vna & singularis actio* HALACHAH *dicitur, nec qui semel quicquam fecit vel boni vel mali, verbum* HALACH, *siue ambulare vel ingredi, arrogare iure potest; sed qui diutiùs assueuit, &,*

Gen. 17. *vt scholastici loquuntur, habitū contraxit. Sic illud interpretamur,* Ambula coram me, & esto perfectus. *ijsdem duobus verbis, quibus illic Abrahamo præceperat Dominus, Vates hoc in loco suam communit causam.* THAM, Sanitatem, simplicitatem, candorem animi & probitatem *Latinè significat. sæpe ab interprete nostro vertitur in* perfectionem *siue*

Perfectus. perfectum. *atqui quem Latini virum bonum & sanæ mentis dicunt, sacra*

Iob 1. *ac primæua lingua* THAM *vocat. vt,* Et erat vir ille THAM VEIA-

Ibid. 8. SAR, simplex & rectus. *Et apud eundem auctorem,* Deus non proiiciet THAM simplicem, nec porriget manum malignis. *Innocentiam verò siue probitatem siue simplicitatem suam propriam, nominat, quam verè & ex animo sibi constare affirmat,* innocentia mea *non simulata, nec ementita, nec in speciem prætexta, commodi aut gloriæ aut fallaciæ cuiuspiam causa, sed consilio certo & voluntate propria atque studio & amo-*

Virtutum vera ratio. *re obtenta. Talis virtutum omnium vera debet esse ratio, vt nulla propter aliam rem nisi propter se ipsam expetatur & præstetur, nec vllo mutetur pacto vel deseratur periculo: talis enim verè propria dicitur virtus, vel innocentia, vel sanitas, vel quæcumque iudicetur alia vt iudicio probetur Dei. Talis illa commendatur simplicissimi Iobi eodem significata vocabulo:*

Ibid. 2. Numquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens THVMATHO innocentiam? Tu autem commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustra. *Prior igitur pars, quam pro se facere Vates ait, simplicitas siue innocentia propria, atque totis actionum vitæ exēplis & antiqua cōsuetudine sibi constans: cui cum non satis virium ad iudicium Dei sustinendū & integro iure sibi cōciliandum sit, diuini propositi ac promissi nomine* IEHVEH *significatum præsidium, sibi pro asylo applicat & occupat; à quo nullis aduersæ partis viribus, argumentis, & artibus, ac dolis deiectum iri sese confidit, ac sperat, imò & asseuerat.*

Rupes siue petra nomen Domini. Et in Domino sperans non infirmabor] *Rupem aliàs atque firmissimam petram suam, compluribusq; aliis munimenti, defensionis, ac firmitudinis & propugnaculi vocabulis, diuinum illud & efficacissimum* IEHVEH *nomen appellat & circumloquitur. non quidem ait se non infirmari aut fi-*

dere

UNIVERSIDAD DE MURCIA

dere in simplicitate & innocentia sua, ad causſam quam ſuſcipit, ſed in IEHVEH *Domino; quo fauente & protegente, ſe nec de ſimplicitate ſua pellendum vel dimouendum, nec cauſſa caſurum fidit. Eſt igitur totius orationis argumentatio ſumma, eademq; dicendorum propoſitio, in hanc rationem concinnata. Meam tibi cauſſam Domine* IEHVEH *iudicandam committo ego ipſe & commendo, quam duabus partibus perorare inſtitui, id eſt, mea ipſius ſimplicitate ad iudicium tuum legitimè exigenda, atque à me vitæ conſuetudine & moribus præſtanda; & bonitate ac miſericordia tua, quam ego nomine iſto efficaciſſimo compellando à me ſtare confido & ſpero;* BATAHHTHI. *Plenam, planam, vniuerſalem, certam, firmamq; fidentiam & ſpem verbum hoc ſignificat, ſine vllius certi argumenti definitione aut exceptione, eandemque fidei indiuiduam comitem perpetuóque ſequeſtrem, adeò vt altera deficiente vel laborante, altera quoque laboret: vt qui in falſo vel incerto fidem locauerit, perſimili ſpei nutet periculo, aut etiam fruſtretur. ex qua doctrina illud eſt:* Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis, Domus Iſraël ſperauit, BATAHH, in Domino: adiutor eorum & protector eorum eſt. Non infirmabor.] LO AMAGHED. MAGHAD *verbum ferè ſemper cum nominibus pedes, talos, gradum, inceſſumq; ſignificantibus reperitur: atque vitium perpetuò ſonat, pro quo Latinè* labi, *ſiue* nutare *licet reddere, vt ex ipſis obſeruare eſt exemplis.* Dilatabis greſſus meos ſubtus me, & non LIMAGHEDV deficient tali mei. *Et ſuperiùs in hoc libro:* Dilataſti greſſus meos ſubtus me, & non LIMAGHEDV ſunt infirmata veſtigia mea. *Idem omnino hemiſtichium cum ſuperiore, ſed illud apertius,* Dens putridus & pes MOCHEDETH (laſſus *vertit Latina communior*) qui ſperat ſuper infideli in die angustiæ. *Huiuſmodi itaque ſignificatio eſt verbi,* non infirmabor, *in hoc verſu, non nutabo, ſiue minimè vacillabo. Propoſitionem rectè inſtitutam confirmatio è veſtigio conſequi debet, qua vel ratione, vel exemplo, vel vtraque ſimul re aſſumptum ſaltem comprobetur. Nam propoſitionis pars prior, quæ maior etiam ſiue præcipuo iure propoſitio vocatur, interdum vt nota & indubitabilis omittitur. Nemini autem dubium eſt, innocentiam & ſimplicitatem gratam eſſe Deo; vt vel ex illo apud Iobum, quod allegabamus, adſtruitur dicto:* Deus non proijciet ſimplicem: *item ex contrarij negatione firmatur;* Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es; neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos. Odiſti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus. *Priori itaque propoſitionis conceſſa parte, poſterior, in qua Theſis conſiſtit, formatur: hoc eſt, innocentiæ ſiue ſimplicitatis documentum, & huic adiunctum fidei atque ſpei argumentum. Simplicitatis autem probatio non tam à facto, quàm ab animi impulſu & affectu petitur: nam perſæpe accidit, vt ſimplicis & candidi hominis factum aſtutus & ſimulator,*

Spes fidei comes.

Pſal. 113.

2. *Reg.* 22.

Pſal. 17.

Prou. 25.

Maior propoſitio ſæpe omittitur.

Innocentia & ſimplicitas grata Deo. *Iob* 8. *Pſalm.* 5.

Simplicitatis probatio.

Psal. 77. mulator imitetur, imò & in speciem superet. S. S. E. Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei: Cor autem eorum non erat Psal. 61. rectum cum eo; nec fideles habiti sunt in testamento eius. &, Cucurri in siti: ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. *Igitur cùm*

Consiliorum examen. *non semper ex facto animi consilium probandum aut improbandum veniat, consiliorum perfectum examen soli diuinæ tribuendum sapientiæ relinquitur.* S. S. E. Psal. 7. Scrutans corda & renes Deus. & *illud*, Nec iuxta intui- 1. Reg. 16. tum hominis ego iudico. Homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. *Quod cùm ita sit, probitatem simplicitatemq; suam, repetito ab internis affectibus & locis examine, pernoscendam Domino, cui soli virtus & facultas ista constat, committit. non qui ambigat eam notam & exploratam, sed qui fiduciam profiteatur suam.*

2. Proba me Domine, & tenta me: vre renes meos & cor meum.

Ex puris ac simplicibus fontibus purum & simplicem promanare liquorem, naturæ veritas & experientia docet. Sunt autem in humano corpore officinæ geminæ, in quibus anima atque animus exercentur: altera affectionum in renibus, in quam cupiditates & appetitiones confluunt omnes: Renes affectuum sedes. Consilia in corde. *altera cogitationum, consiliorum ac deliberationum, cor vocata, in quod tanquam in regiam aulam affectionum & cupiditatum turba conuenit omnis expedienda. qua de re nos alias plura & exactius disserebamus. Duplex autem vitij genus in vniuersum obseruatur, tametsi vtrumque in varias* Lib. de Natura historia. Vitij genus duplex. *diducitur partes: vel enim in integritate rerum vitium notatur, vel in puritate naturæ. Nam quod à solido & sano discrepat, vitium habere dicitur: item quod à naturæ ingenuitate alienũ quid admittit, vitiosum dolosumq; vocatur. Soliditas & sanitas manuum tactu & sensu coniecturam sui dare solet, imò & notitiam quoque. vnde ad sensum & ad tactum antiquissimi philosophi, ac medici præsertim, naturæ veritatem examinandam reuocabant; quod quia communissimum examinis caput est, & nulli non peruium, verbi* BAHHAN *rationem præcipuè vendicauit. significat verò* BAHHAN, *pondere, mole, tactu, vel pulsu tentare & examinare aliquid. Vnde* Pollex. BOHHEN pollex *dictus, quòd in pulsu, tactu, ponderationeq; primas habeat partes. id quod medicis & cæcis manifestum est; illis venarum motum duobus digitis ac pollicis præsidio discernentibus, his verò pollicis vi & officio personas ac res contrectatas cognoscere & agnoscere assuetis. Ex hac autem ratione, bonus ille inter exteros auctor, magistrum de se examinando monens, aiebat:*

Pulsu dignoscere cautus
Pers. Sat. 5. Quid solidum crepet, & pictæ tectoria linguæ.

Duobus autem verbis mentis simplicitatem & probitatem Deo examinandam tradit, in eaq; petitione perstitit, BAHHAN & NAZZAH; *pro altero*